

Zc
3787



II, 24.

2. 498.



D. O. M. A.
ORATIO NATALITIA
PRIMA,

In Genethliis, seu natalitia celebritate

ILLUSTRIS-
SIMI PRINCIPIS
ET DOMINI, DN. IOHAN-
NIS CASIMIRI DUCIS SAX:
Landg. Thur. March. Misn.

GYMNASII CASIMIRIANI
in celebri Coburga,

FVNDATORIS INCLYTI, HE-
ROIS MAGNANIMI, MUSARUM
nutritii benè meriti:

Recitata Ab

ANDREA LIBAVIO M.D.P. CAS. CASI-
MIRIANI DIRECTORE ET PROFESSORE,

COBURGI,

In Auditorio majore, an. 1607. 12. Junii.

Typis Ducalibus, per Iustum Hauck impressa.

ANNO. MDCIX.

ILLUSTRISSIMO
PRINCIPI ET DO-
MINO DN. IOHAN-
CASIMIRO,

DUCI SAXONIAE, LANDT-
GRAFIO THYRINGIAE, MARCHIONI
MISNIAE,

INCLYTI APVD COBURGENSES GY-
MNASII CASIMIRIANI FUNDATORI, ET
Dotatori liberali,

MVSARVM MECOENATI, PATRI PATRIAE,
& Heroi generoso, Domino suo clementissimo.

ANDREAS LIBAVIVS M. D. PROFESSOR
ET DIRECTOR CASIMIRIANI SA-
xonici Coburgi,

DIU VIVERE,
Pie & fortiter, iusteq; agere,
Longum valete,
Multos & suos & nepotum
Suorum genethliacos feliciter videre,

Optat, precatur, impetratum à Deo ex animo cupit.



D. O. M. A.

In natalem Illustrissimi Principis & Do-
mini D. Iohan-Casimiri Ducis Saxoniae, Landg. Thur.
March, Misn. 12. Iunii 1607.

Rerum praclararum, memorabiliumq;
principia & eventa, Illustrissime Princeps & D. D. cle-
mentissime, & vos viri Reverendi, nobiles, consulti, do-
ctiq;, & juvenes studiosi, quod singulari omnia dispensan-
tis numinis efficaciam & opere existimentur procurari, & magnarum
expectationum motus, ominaque secum trahere soleant, tum semper occu-
patos sollicitosq; tenere inter spem metumque animos, tum etiam aliquam
Sanctitatis opinione imbuere, ab ineunte mundo, usq; ad nostram aeta-
tem, subinde recurrente experientiam cognitum est & perspectum. Prin-
cipiorum sane vim maximam esse, seq; in omnia deinceps sequentia ex-
tendere: eventa vero, principiorum momenta, inclinationes, ponde-
rag; indicare, & novorum operum fundamenta jacere, non opinor quis-
quam vite humanae gnarus dubitaverit. Sed & occultum quid & sa-
crum, quod omnes sapientes non contemnendum, nonnulli etiam vene-
randum & admirandum putent, inesse illis, tacita animorum existima-
tio, consensusq; ea in re gentium confirmat. Mundus ipse sui exortu,
populis venerationem & conjecturam principii, potestate maximi, pub-
eritudine optimi, sapientia admirandi, induxit, adeo ut non dubitaverit
vel ipse aeternitatis mundanae assertor Aristoteles, si quidem cepisse dicen-
dus sit orbis, formale quoddam, seu efficax, potensque principium ei assi-
gnare. Nec desunt hodie, quos revolutiones siderum, & partus naturae
tanquam ortus novi, in attentionem, & expectationem alicujus insoliti
rapiunt.

Herod. lib. 1.
lib. 4. cap. 6.

rapiunt. Eadem opinio sese etiam in particularium operum primordia diffudit, & originibus rerum singularium, singulares Deos & fatales potestates, propter specialem Dei providentiam mancipavit. Fons si quâ apparuit, actutum numen sibi vendicavit sacrum. Si planta prodiit, præfatum ortus sui habuit Deum. Si velles oppida condere, ædes locare, flumina ponte jungere, matrimonium inire, sacris initiari, templa dedicare, & omninò domi, militiæ vè quid inceptare, religio animis insita bona initia jussit aucupari, tandemque eò ascendit superstitio, ut Iano bifronti omnium rerum initia & fines, quod is Deorum solus antrorsum retrorsumque spectaret, consecrarentur; sigillatim autem Iunoni Lucina exortus animalium, aliaque diis aliis dicarentur. Cùm Eva, prima generis humani mater, Cainum in lucem ederet, utpote de primogenito optimè sentiens, ominansque præclare, virum Dominum jam natum sibi gratulabatur. Solenne est honoribus Academicis præfari: quòd felix & faustum sit; quod benè vortat & huiusmodi. Individuam Trinitatem instrumentis suis præmittunt notarii. Nec benè sperare de recens natis unquam cessarunt posteri, adeò, ut ex ipsis insitam esse natalium suorum venerationem, haud absurde judicari possit, debeatq;. Semper fuit habitus genialis dies ille, quo quis primum in mundum intravit. Semper gratulationibus studiosis exceptus, & veluti Salutatus introitus vitæ. Autore itaque Herodoto, & relatore Athenæo, Persæ etiam legibus constituerunt, ut is dies, quo quis natus esset, singulari quadam observatione venerabilis, sacerque foret, id quod & Chaldaeorum instituta produnt, juxta quæ à puncto natiuitatis, dominoq; ascendentis hora genitæ, omnia deinceps dependent & dispensantur fata, censentur primordia, & vires gerendorum, examinantur acta. Magnificè olim Imperatores Romani non tantum Decennalia, Vicennalia, Tricennaliaq; sua & ludos seculares, lustra, olympiadesq; celebrarunt, verum etiam genitales dies, & vitæ ingressus. Refert Plinius, Populum Romanum suo tempore sacra prisca natalium pulte fritilla confecisse. Vulgus nostrum, cum plerumq; ad aliquem Divum in diariis notatum, suum referat nomen, eidem etiam natales suos fert acceptos; & ideò monumenta nominis in sacro Baptismate tunc primum impositi,

impositi, spiras, corollas, crepundia, carmina, aliaque munuscula mittit,
& apophoreta, nec raro symbolam comportat. Sumtuosiora natalitia Ne-
ro, cui centies centena millia aureorum in annos à Senatu decreta parum
erant, exhibitis spectaculis, dato epulo publico, aliisque magnificentie in-
signibus propositis, & nummis sparsis, vel divisis, cujusmodi anathemata
cernas non raro etiam in inaugurationibus, coronatione, dedicatione no-
strorum observari, instituit. Attalicas cœnas in hortis natalitio festo
exhibebat Antonius. Herodes Antipas, Galilæa Tetrarcha, principibus,
tribunis, & primatibus Galilæa cœnam dabat regalem, & quod solenne
erat in regis convivis, saltatricem adhibebat filiam, in qua tamen cœna
nulli non bono in visum portatum est apophoretum, caput Iohannis Bapti-
stæ, virorum ordine nature procreatorum maximi, quali spectaculo in-
gratiam meretricule ferè etiam suum prandium nobilitavit Placentiæ
Flaminius, decollato ante triclinium damnatorum uno. Ecclesia prisca
tamen non reformidavit martyria istiusmodi Sanctorum, qualis Baptista
fuit, in auspiciatissimos natales convertere, atque etiam pro intermortalis
feralique die, natalitia appellare, & festa publica indicare, quibus solebant
ad limina martyrum, sepulchrorumque offerre munuscula, ut vela tegan-
dis foribus, signa, oscillave argentea, cereos lychnos, oleum, balsama.
Nummos quoque pauperibus dividebant, & homilia quadam memora-
bili animos sapientie divina cupidos, & ad exemplum pietatis se compo-
nere desiderantes exaturabant. Quod Iudæi, Romæ degentes, non dubita-
bant adulationis causâ Herodi Agrippæ, aliisque aliis dominis factitare,
id populus pius sanctis martyribus, quorum ex hac vita per vim tyranni-
cam discessus, verus est in veram patriam ingressus, nativitasque & Palin-
genesis ad vitam sempiternam. A tali festo abesse sacrilegium putabatur.
In Ecclesiis nostris cæteris omnibus præfulget Natalis dies Domini &
Salvatoris nostri IESU CHRISTI, qui licet esset æternus, à patre ab
æterno genitus; tamen propter nos homines, & propter salutem nostram
non dubitavit de cælo descendere, & constituto tempore assumpta ex vir-
gine illibata intemeratæque pudicitie Maria, natura nostra, in mundum
venire & nasci, pro qua nativitate, quâ tandem etate, seu hujus, seu

venturi seculi ipsum possumus sufficienter & dignè celebrare? Sed omis-
sis jam Ecclesia natalitiis, ad popularia seculariaq; revertamur. Non tan-
tùm suo natali sibi gratulari, gaudereq; quisq; solet, & quos habet ami-
eos jucundos ad commune gaudium vocare; quo modo Damoetas ille
Virgilianus ab Iola petit sibi Phyllida mitti, quod esset natalis suus: ve-
rum etiam convivium, festa, & veluti Encoenia in honorem dilecti sibi
principis, amici, patronive eo die, quo est natus, recurrente instituire, &
vè desit testimonium, monumentumque vera congratulationis, nullum
non instrumentum letitiae genialis, quantum fieri potest, excogitare. Phyl-
lin amicam invitabat Horatius proposito generoso & priscae notae vino;
ostensâ recedendis fertis materiâ Apii & hederæ; prædicatâ argenteis va-
sis abundante, instructaq; aris verbenâ ornatis ad immolandum agnum,
domo: Sed & ministris ad officia paratissimis, luculentoque fœco commen-
dato. Quorsum ista omnia? Ut tamen nôris, ait, quibus advoceris Gau-
diis, Idus tibi sunt agenda; qui dies mensem Veneris marina Findit
Aprilem, Iure solennis mihi, Sanctiorque; Penè natali proprio, quod
ex hac Luce Mecænas meus affluentes ordinat annos. Hæc & alia plura
ibidem Horatius in re privata. Nos, Viri, Reverendi, Nobiles, consulti,
doctique, & adolescentes liberalium studiorum alumni, etiam publica
quædam ad hilaritatem genialem solennitas invitat, vocat, provocat,
quin & lege Gymnastica huic obstricti sumus. Nostis, opinor, quid de-
signem. Quâ enim estis erga illustrissimam Saxonie domum pietate, &
affectione, tabulis annalium subinde revolutis, etiam articulos & mo-
menta, quibus aliquo insigni bono à Deo immortalis per hanc estis aucti,
numeratis. Annus jam (quod benè & feliciter in Christo Iesu, filio Dei,
Domino & Redemptore nostro, per Spiritum Sanctum cedat, & longorum
annorum sit primordium exoptatissimum) defluxit quadragesimus ter-
tius, ex quo Illustrissimum Principem & Dominum, D. IOHANNEM
CASIMIRVM, Ducem Saxonie, Comitem Provinciale Thuringie,
& Limitaneum Misnie, D. nostrum clementissimum, Herodem magna-
nimam, fundatorem huius Gymnasii, benefactoremque liberalem, pri-
mum natum Deo munificentissimo debent Saxones, sibi gratulantur Thu-
ringi

ringi, gaudent Miseni, letantur Franci, & quæ gens Germana virtute
imbuta illustrissima domui hoc tam insigne bonorum diuturnum non pre-
catur? Si primordia rerum sunt in veneratione, & semina habent ex-
pectationum, eventuūque non vulgarium: Si lucis ingressus secum ex-
optata vitæ tam vota, quàm omina trahit fausta, colendum illud pri-
mordium geniali aliquâ festiuitate est; letitiâ liberali diluenda cura,
& omnia piæ congratulationis, gaudiūq; argumenta studiosè conquirenda.
Ego sane, ô IOHANNES CASIMIRE, Dux inclyte, Princeps Il-
lustrissime, benefactor liberalis, & huius Gymnasii post DEVM OPT.
MAX. Conditor, Tutorq; fidelis, gratulor tibi huius diei reditum ex
animo, gratulor domui illustrissimæ, gratulor subditis tuis, omnibûsque,
qui te saluum & incolumem, mente, animo, verbis, gestu, opereque,
atq; etiam vitæ impendio exoptant, maximè verò Coburgo huic tuo,
quod lateritium acceptum, aureum videris relictorus. Cur hoc faciam,
causæ sunt, nec pondere leues, nec numero pauca. Auscultate quæso pau-
lisper, Viri Reverendi, nobiles, consulti, doctique, & commodate orationi
huic meæ aures patientes, & animos benevolos, attentamq; mentem,
vultu propenso præferte. Si verba fortasse mea, & facundia inopia,
vos offendent, sustentabit saltem, revocabitq; argumenti favor, & gra-
tia, cuius sub presidio, clypeoque veluti Achilleo meam abscondam in-
fantiam & tarditatem. Satis causæ ad solennitatem natalitiam Hora-
ratio fuit surus Mæcenas, à quo inter amicos receptus erat, convictoresq;
à quo etiam locupletatus: Mæcenas ille, atavis editus regibus, presidi-
um, & dulce decus, fautor eximius, & patronus Poëtarum: Mæcenas
ille, cui avus fuit paternus, maternusq;

Olim, qui magnis legionibus imperitarunt.

Pro Mæcenate nobis est non minoribus folijs ornandus, nec gente in-
feriore indigniorēve ortus, aut beneficijs parcioribus insignis, PRIN-
CEPS Illustrissimus, quem ne hoc argumento, velut in faciem laudem,
extollamque in cælum, verecundia quadam & popularium iudiciorum,
quibus facile animi impotentis & illiberalis adulationis accusamur,
simor facit; imò fulgor irradiantis longè, in sublimique positi stemmatis
angustia

angustiâ mentis oratoriae capi, verbisque satis dignè explicari non potest:
Et notus vobis est illustrissima stirpis à magnis ducibus, regibus & im-
peratoribus per longam seriem decursus. Hujus gentis, si sacrarium in-
trare velletis, quot ibi nomina legeretis magna? Quot statuas veneran-
das intueremini? Quot insignia conspiceretis illustrissima? Cerneretis
ibi (ut ex multis paucos nominem) à parte illustrissimi nostri paterna,
Fridericum primum Electorem Saxoniae; Bellicosum appellatum, funda-
torem Academiae Lipsensis: Oculos moveret, percelleretque vestros ful-
gore quodam insolito etiam Secundus ejusdem nominis, & Septemvi-
ratus Imperii. Quid Fridericum tertium dicam, illum nempe ipsum, cu-
jus effigiem venerabili specie, augustaque formâ expressam in pariete cer-
nitis? Is est, qui celeberrimam VVittebergæ Academiam excitavit, fun-
davitque: Is est, quem axioma imperii, communibus suffragiis, dignum
censuerunt Romani Septemviratus proceres. Is est, quo ad gubernacula
Electoatus Saxonici sedente, exitus fidelium Dei ex Babylone Romana
factus est, & stella matutina Evangelicae veritatis exorta, Papisticas tene-
bras redarguit, Antichristum de solio dejecit, & plurimarum gentium pe-
dora illuminata, à mendaciis ad veritatem reduxit. Hujus Herois latus
servat IOHANNES frater, itidem Elector & Dux Saxoniae inclytus:
Iohannes ille lumen Saxonicum, miraculum populorum, & constantiae
Evangelicae inusitatum exemplum. Iohannes ille confessor intrepidus,
& nullis minis periculis vè à fidei firmamento avulsus; columen pieta-
tis, sinceritatisque, & erecti ad Deum, celsique animi argumentum, cu-
jus nomen, famam, & gloriam nec hoc seculum poterit delere, nec non al-
terum in omnem aeternitatem gratè prædicare. Si in templo hoc per-
geretis, appareret & Iohannes Fridericus magnanimus ille pro aris
focisque depugnator, etiam uterinâ notâ, qualis esset futurus, insignis:
neo minoris aestimandus illustrissimi principis nostri parens illustrissi-
mus, generosissimusque, IOHANNES FRIDERIEUS II. beatissima
memoria, in quem dentes insigere fortuna potuit, animum immota fidei
observantem tenacemque, ei deripere, & augustum graveque consiliis pectus
prosternere adeò non potuit, ut etiam tanquam palma contra impositum onus
conni-

conniteretur; jamque etiam ex sepulchro, quod servata pietatis, constan-
tia, & excelsi animi laude felix intravit, beatum illum in occursum Sal-
vatoris nostri ad ultimum judicium reversuri raptum expectans, vires
per IOHANNEM CASIMIRUM, & IOHANNEM ERNE-
STUM, filios suos laudatissimos, infractas ostendat, & longè majora promit-
tat, Duce Christo, rerum maximarum momenta, quàm quisquam nunc
concupere animo, aut assequi opinione possit. Illa sunt lumina Celsitudinis
Principum nostrorum recta serie collocata. A latere quantus sese aperit an-
tique virtutis, fidei & dignitatis patrum, matrumq; ordo? Videas hic Po-
meraniae Principes; Videas Megapolenses, Clivenses, Iuliacenses, Ber-
genses, Hassos, Burgundos, Saxones, Brandeburgicos, Bavaros, Austriacos,
Mediolanenses, & Wirtembergicos, Brunovicenses: Proh fidem humanam,
quantarum gentium nomina? Quàm illustria stemmata? Imperatores hanc
attingit Illustrissimus noster maximos, pios, felices. Attingit reges, idq; etiã
lineã materna quæ habet Electores Palatinos, Marchiones Brandeburgicos
& Badenses: Archiduces Pannonia, comites limitaneos Hassia; Nassovios,
Lotharingos, Geldros, Bavaros, Saxones, & alios præclaros principes, &
præterea etiam reges Vngaria, Lusitania, & Polonia, Imperatores Roma-
nos & domum Austriacam, quæ jam tanquam vastissima illa Danielis ar-
bor umbrã suã penè totum mundum complexa est, & orientem occiden-
ti conjunxit, sublimium imperatorum & regum amplissimorum stirps
fœcunda. Si hoc argumento celebres debent esse natales, cedat cum suo
Mecenate Horatius, sileatq;. Longè splendidior gens est nostri princi-
pis, utpote non tantum avis atq; atavis regibus, qui maximis olim impe-
ritarint legionibus, illustris, sed & victoribus triumphatoribusq; magni-
ficentissimis, totius orbis, gratiã, beneficiog; Dei, Dominis potentibus, lon-
go ordine ab antiquo numerandis, excelsa. Quis unquam fuit, qui se An-
tichristi in cœlis, terris, & inferno suã opinione Domini, regisq; regum,
triplici corona superbi, victorem ausus sit gloriari? Domus Saxonica
& stirps Principis nostri, per Dei gratiam gloriatur, & adhuc triumphat.
Salvatori olim nostro, & redemptori IESU CHRISTO fervente con-
cione occupato, nunciabatur foris esse matrem, & fratres qui se conven-

rum cuperent (*Matth. 12. 46. &c.*) sed is extensa in discipulos manu, Ecce, inquit, mater mea & fratres mei. Quicumq; enim fecerit voluntatem patris mei, qui in caelis est, ipse est meus frater, & soror, & mater. Propter Christum mundani stemmatis gloria est vilipendenda. Christum diligere melius est, quam omnia scire, aut possidere. Illustrissimi principis nostri familia hac gloria (qua est in Deo vera) non caret. Sunt in hac patres, qui mundi splendore & seculari eminentia contemptis, Christum sequi, & diligere, crucemq; ejus tergo susceptam ferre usq; ad carceres, & sanguinem non reformidarunt. Imagines corrumpunt secula, statuas minuunt anni, titulos abolet vetustas, signa perfodiunt vermes, exest arugo. Thesaurus ille verae gloriae in caelis repositus, ab omni immixtis est injuria. Ostendere hic posse verum patrem Deum, & fratrem Christum aeternae beatitudinis recuperatorem, omni humana laude est majus. Hac floret etiam Illustrissimus noster Iohannes Casimirus. Quidni natalibus ejus leta quaq; dicamus? Non manet otiosus in ipso pietatis amor. Ad nos se transfert varijs instrumentis, monumentisq; in templo, foro, Schola, & alibi. Hac se ille gloria perpetuum cupit, ad exemplum patris caelestis populis benefecisse, & desiderabilem sui apud gentes memoriam reliquisse. Itaq; etiam cum superbire grandibus natalibus posset, & ad caelum usq; extollere verticem, mavult tamen in humilitate DEO servire, donec ab hoc extollatur. Nota sunt quae dico. Quis enim nescit fastum & superbiam a nostro principe alienam esse? Sed servato pio, fortiq; animo. Naturae sequitur semina quisq; suae, inquit Poeta; Et Lyricus: In equis & juvencis patrum virtutem agnoscit, nec imbellem columbam putat ab aquilis generari. Progenitores Illustrissimi nostri divinae originis, & afflatus non immemores, quanta ad pietatem contulerunt; quanta ad studia divina, humanaq;? Verbum Dei, quo semine immortalirenascimur, & crescimus ad vitam aeternam; quoq; tanquam Phosphoro illuminantur ad fidem corda nostra, non erat notius & illustrius in Pontificatu istorum temporum, quam liber legis ante regnantem Iosiam, & Helciam summum sacerdotem. Et sane, ne hodie quidem in Antichristi Romani Synagoga est magni momenti Scriptura sacrosancta.

Negat

Negat Bellarminus eam datam esse, ut sit regula fidei, quanquam alibi partialem agnoscat, sed adeo inanem, & vacuam, ut possit terra illa primum creata Thobu vabobu, ἀόρατος ἢ ἀκατασκεύαστος videri, nisi animam à traditione Papistica, tanquam à vento quodam, & Spiritu (vertiginis nempe) Antichristo, (quale quid legitur in Apocalypsi imagini bestiae Italia à vulnere, quod ab Hunnis, Vandalis, Herulis, Saracenis, Gotthis, & Longobardis acceperat, reviviscenti ab Antichristo collatum) hauriat, eoque abunde turgescat, & vivat, atque adeo id sentiat, quod eam sentire vult Romanus Pontifex, contra cuius sententiam nefas sit cuiquam vel mutire. Fastidiebant eam summates Papales, ne Romanam Latinitatem, & patria sacra dedicerent. Populus abstinere cogebatur lectione, nec quisquam, nisi latine sciret, & bestiae characterem in fronte & manibus gereret, ad literas sacras admittebatur. Nictuebant enim illi satellites Antichristi, cum Alphonso à castro, ne haereses excitarentur, quae omnes inde in Ecclesiam venirent, quia Deus videretur in linguis populorum, & biblia variis idiomatibus extarent, seu quod idem est, Spiritus Sanctus loqueretur per Apostolos omnium gentium linguis, ut nulla superesset omnibus excusandi suam inscitiam materia. Quod si Latina lingua, Graeca, & Ebraica adhuc esset in usu populari, exularet pariter ab omnibus his gentibus Spiritus Sanctus cum suis oraculis scriptis. Invidit Papa mundo id, quod Spiritus oris Domini olim omnibus voluit innotescere, & ideo omnium linguis est locutus, inque aures omnium idem ingessit verbum. Alphonsus iste bellus regem, populumque Hispania summis effert laudibus, quod per omnem vitam à lectione sacrarum literarum, velut à peste, abhorreant. Vah laudem praeclaram, cuius argumento olim inter sulphura ardentia cum Cerbero aeternum cogaris ululare. Non censuit Stanislaus Hosius, permittendam esse lectionem Spiritus Sancti in Scriptura laicis, ne sanctum canibus detur, & porcis objiciantur margaritae. Paulo honestius is habuit verbum DEI scriptum; sed de Christi sanguine redemptis pauperibus, & humilibus omnibus pessime sensit, quasi illi non essent parvulus ille grex Christi, è mundo per fidem segregatus, sapiens Deo, stultus mundo, qui olim magnate, illos superciliosos sua fide sit damnaturus. Traditiones Papales idem



Hosius certiores oraculis Spiritus Sancti scriptis, quæ Rhododaphna herba ad venificorum usum nata, comparavit, non dubitavit pronunciare. Quid Lindanus, legati VVormacienses, Coloniensesq̃, & Ghesuitæ de scriptura sentiant, notum est plus nimis. Monachi Dominicani & Franciscani etiam planè exautorare codicem divinum studuerunt, prolata doctrina Ioachim, & Evangelio æterno Spiritui Sancto mendaciter attributo. Maluerunt alii Rosaria, & Psalteria Maria. Est in pituris D. Augustini imago, interjecta inter Christi Iconem, & Maria genitricis. Ille sanguinem fundit ex latere; hac lac ex ubere. Augustino ad scripta sunt hæc verba. Hinc pascor è vulnere; hinc lactor ab ubere: Positus in medio, quò me vertam, nescio.

Lucæ II.
Imò beati
qui audiunt
sermonem
DEI & cum
obstant.

Wo sollen
wir denn steh
en hin / daß
wir mögen
bleiben? zu die
Herr Christ
alleine.



Maluerunt alii Rosaria, & Psalteria Maria. Est in pituris D. Augustini imago, interjecta inter Christi Iconem, & Maria genitricis. Ille sanguinem fundit ex latere; hac lac ex ubere. Augustino ad scripta sunt hæc verba. Hinc pascor è vulnere; hinc lactor ab ubere: Positus in medio, quò me vertam, nescio.

Dicitur autem in Augustinianorum Vienna templo eadem imago valvas occupare, sed quæ insuper manu dextra cor flammæ eructans ad virginem vertit. Hoc quid aliud est, quàm Librum Iesu Christi ponere, & rosaria virginis sumere, idq̃ sceleratissimè, & calumniosissimè usurpare tanti Doctoris autoritate?

Dominicus Sotho negabat, necessarium esse, credere sacris literis, quòd non semper extiterint. Fuit in Gallia quidam censor regius, qui si absq̃ autoritate Papali esset, non pluris facturus fuerat scriptas ad Paulo Epistolas, quàm

Æsopi

Æsopi fabulas, Imò alius crematurus erat, si solus possedisset, & Mersburgensis Cancellarius pro verbo DEI, & Evangelio non habebat, qui fortasse Tatiani ex quatuor Evangeliiis fraudulentiũ Sympegma pratulisset, & Dominici ad Christum viam per liliorum campos suaveolentes, jucundam, mollemq̃, Divi Pauli austeritati, spinis, gladio, carceri, cathenis, anteposuisse; aut veritus cum Antonio, Pyranensi legato, ne inde Lutheran fierent lectores, in sterquilinum immerisset; vel, nè combureretur cum Iohanne Montilino, qui Bononiæ publicè legerat Paulina, combussisset ipsas: dignus sanè homo supplicio Forchemiani cujusdam sacerdotis, quem, cum se Diabolo astrinxisset, si vera esset D. Pauli de cæna Domini Scriptio, falsa autem Papistica de una specie asseveratio, vivum è medio sustulit Sathan. Pari scelere Cyrillus Græcus quidam eremita subtrahere Ecclesiæ, & permutare Apocalypsin D. Iohannis est conatus: nimirum luce, fulgentioribusq̃ coloribus depingunt Antichristum Romanum Paulus & Iohannes, quàm ex usu sit istius regno. Sed non ita domus Saxonica, & stirps illustrissimi nostri. Alius in ea fuit Spiritus, nempe patris cælestis, & filii, qui promiserat se suis omnia, de quibus ambigerent, manifestaturum, misso interprete Spiritu Sancto, qui, quod ore Apostolorum prædicaverat palàm, manibus eorundem scriptum apud Ecclesiam deposuit, ut eadem inde semper doctrina posteris innotesceret. Huius flammâ incensus est animus Electorum Saxonie, principis nostri majorum, ut ex tenebris, pulvere, situ, tineis, & contumeliis, operâ & studio divini viri, electiq̃ organi Dei, D. Martini Lutheri, cujus memoria in benedictione, ereptum sacrum codicem purè, terseq̃ legendum & intelligendum proponerent omnibus veræ fidei & emanantis inde salutis aeternæ cupidis, id quod antè tot oculi, tot aures, totq̃ animi, quàm desideratissimè desideraverant; nobis autem beneficio Dei optimi, maximi, per istos heroes quàm amplissimè, Deo benefactoribusq̃ illis gratia & laus sempiterna, contigit. Non degenerem se hac in parte ostendit etiam pius noster princeps. Paternâ enim Bibliothecâ instructus, abundat & exemplaribus biblicis, & interpretum optimorum copiâ; eaq̃ studiosè conservari, mundari, tergeriq̃ curat, ut ad usus Ecclesiæ semper sint in prom-

ptu, paratug, nec fieri possit, ut vel hac solâ bibliothecâ superstate, in pristi-
nas tenebras recidant posteriorum tempora. Thesaurum autem etiam am-
pliorē novimus in inclytâ Ienensi, cujus academiae participes non ita pridem
erant illustrissimi nostri, contineri, cujus conspectum, praesentiamq, expe-
timus in dies. Sed quid de voluminibus, & membranis compactis dico?
Pluris est verbi DEI, literis istis comprehensi, exercitium virum: pluris
est ejusdem pura scientia, ex scientia fides inconcussa, ex fide fructus non
contemendi. Cujus opera sibi hoc in loco, atq, cæteris inclyti ducatus
partibus, DEUS colligit Ecclesiam, & in unitate fidei continet? IO-
HANNIS CASIMIRI pientissimorum parentum filii pientissimi.
Cujus cura extruit, exornatq, & in melius provehit arborem illam vitæ,
locum colendæ pietatis, auscultandi loquentis nobiscum DEI, & myste-
ria peragendi? IOHANNIS CASIMIRI, instauratorum Ecclesie
laudatissimorum filii, patrum vestigia observantis. Cujus solitudine,
auspiciis & sumptibus Ecclesie hoc Gymnasium, in dies magis magisq, cele-
bre futurum instituit, fundavit, extruxit, illustravit? IOHANNIS CA-
SIMIRI, ex iis prognati, qui hoc beneficio immortalem consecuti sunt a-
pud Deum, hominesq, memoriam. Est autem ejusdem ut facti, sic & laudis
socius pariter Illustrissimus Princeps & D. D. IOHANNES ERNESTUS
FRATER, Dux Saxonie, heros & benefactor Inclytus. Cum meretrice
babilonia, quæ se Ecclesiam appellat, & evehit ultra omne, quod Deus, aut
cultus Dei, hoc est, scriptus Deus, magistratus, & ministerium Ecclesiasti-
cum dicitur, certabant olim decem illa cornua romane religionis, de qua
Apocalyps. 17 hoc est 300. annorum Imperatores Germanie decem, inter O-
thonem Tertium & Carolum quartum interjecti, Henricus 4 (quem Pa-
pistæ Draconi, Neroni & Juliano apostatæ comparant,) Henricus 5. quar-
tus hujus nominis Imperator, anno 1099. electus. Fridericus Barbarossa,
Philippus, Otho quartus, Fridericus secundus, Conradus Quartus, Alber-
tus Austriacus; Henricus Septimus, & tandem Ludovicus Bavarus, con-
tra quem jussu Papæ Carolus 4. lectus est anno 1346. qui quidem o-
mnes in spiritualibus Papisticam superstitionem sequebantur, sed in po-
liticis, & jure investituræ sacerdotalis omnia agebant contra bestiam.

iura

jura Ecclesiastica pretendentem. Illi juxta vaticinia Apocalypseos fornicariam illam oderunt, desolatamq; & nudam regionibus fecerunt, carnes ejus, seu injuste occupatos redditus, comederunt, inq; usus suos converterunt, quin & Romam civitatem illam magnam, qua olim habebat imperium in Reges terra, captam sepius occuparunt, & supplicis igneis meretricem illam affecerunt: Verum illi dederunt regnum suum bestiae, tandemq; succubuerunt violentiae ejus, & in interitum ierunt, Carolo 4. novam imperandi formam instituente. Notum autem est, bestiam illam sibi jus imperii ita vendicasse, ut nemo posset Imperator esse, nisi obstrictus Papae juramento fidelitatis, & accepta cum consecratione, hoc est, bestiae caractere coronata. Unde & Benedictus 8. Papa Henrico secundo insigne imperii novum contulit primus. Erat id prius diversis formatum figuris. Aliquando enim aquila; aliquando virgo, dextram lunam, sinistram globum tenens. Sed Papa transmutavit in pomum aureum, gemmis circumdatum, & cruce imposita splendidum, quo signaretur mundus sub crucis vexillo, hoc est, Papa summo imperio, gubernandus. Imperator id pomum fratribus Cluniacensibus, utpote cruce dignis, donavit; Sed nihilominus character hic signum imperii mansit. Tantam vim meretrix illa draconem septem capitum, hoc est, imperium occidentis, cujus tunc capita erant Italia, a plaga mortis sanata, Gallia, Hispania, Germania, Anglia, Africa, & Pannonia cum tractu Veneto, & Illyrico, sub frenis continebat, regebatq; suis, bonis istis Imperatoribus pedes ejus osculantibus; strepas tenentibus, frena ducentibus, stratoribus (ut ad annum 1095. de Conrado rege narrat Baronius) ministrantibus, adorantibus. Non ita domus Saxonica parentum illustrissimi nostri. Haec abjectis, ruptisq; istis frenis, contusis, & comminutis calcaribus, ephippio excussa meretrice, & caractere bestiae, numeroq; nominis ejus deleto, proculcatog; exiit e Babylone, eamq; reliquit sedem omni impunitati & Diabolis. Facta est haec secessio spiritu oris Domini, non gladiis ferreis, & tormentis; facta est confessione fidei tam constante & illustri, ut simile exemplum non facile sit reperire, & adhuc persistat prisca illa ex latebris & Papistico sterquilinio, tanquam pretiosa margarita collecta fides

*Etā fides firma, infractaq; contra omnes machinas & consilia Babylonis
istius pessima, & meretricis profligatissima, quam etiam cæteri amatores
pridem deseruissent, ni poculi veneratissimi haustibus adhuc dementa-
rentur, quanquam non usq; adeò stulti, deceptiq;, quin in manubias eius
& spolia temporalia attentam habeant aurem, & oculos vigilantes. De-
us erat, qui ex tenebris jubebat lucem illucescere; Iohannes & Friderici
stemmatis saxonici erant, ijg; silentes magis & sperantes (in silentio enim
& spe fortitudo nostra,) quàm armis cincti, quibus utebatur vivis, for-
sibus, & magnanimis ad rem illam maximam instrumentis Deus; Di-
vus Lutherus erat, cujus linguam & calamos inspirabat, dirigebatq; Spi-
ritus oris Domini. Hinc illa tonitrua, hinc fulmina, hinc terræ motus,
quibus concussus orbis immane quantum sibi & metuebat & pati vide-
batur. Hac fama fuit ab aquilone apud Danielelem, quā conturbatus ille
Diaboli partus, & rex improbus Antichristus cum indignatione multa
in arma erupit deleturus & interfecturus plurimos, adeo, ut etiam equi
possent in sanguine germanorum protestantium natate: Sed perstiterunt
Duces & Confessores nostri, tanquam muri æbenei, & licet impenderetur
aliquid sanguinis, & crux confessionem sequeretur (raro enim martyri-
bus caret Ecclesia fidelium) nihil tamen purpurata illa & coccinea mere-
trix per servitia & satellites suos obtinuit aliud, quàm turpem tandem
fugam, & consiliorum suorum desperationem. Id quod sic fieri conveni-
ebat; DEO in cælis iridente fremitum gentium. Carite classicum populū
(inquit Esaias) at vincimini: audite universe procul terræ (& sanè
audierunt tantæ molis apparatus) Accingimini; at conterimini; Ac-
cingite vos; at fugam capeſſite; Inite consilium; at id dissipabitur: Lo-
quimini horribilia contra protestantium pro Evangelio Ecclesiam; at non
evenient; Quia hic Immanuel. Noli timere grex parvule, qui sub ve-
xillis illustrissimorum Saxonie ducum, atq; adeo etiam IOHANNIS
CASIMIRI nostri, per fidem & confessionem licet non semper sine nu-
beculis, corde atq; ore militas: Complacuit enim Patri potentissimo ve-
stro in cælis protectori, dare vobis regnum. Pro tantis beneficiis quin gra-
tias agimus; atq; utinam pro magnitudine & excellentia collatorum?*

Rogamus

Rogamus autem etiam supplices, ut idem Dominus noster, Rex noster & Legislator primus Illustrissimo nostro voluntatem & vires conferre velit, in id incumbendi, quo lux ista diu luceat inter homines, maneâtque & crescat cum Ecclesia Gymnasium, adeò ut tanquam ex Equo Trojano, innumeri hinc, ijdemque fortissimi exeant confessionis syncera protectores, quorum armis spiritualibus Babylon illa magna, quæ jam etiam Venetorum arietibus concussa nutat, penitus corruat, & inter ignes sulphurâque tandem discat se Dei sanctuarium occupando inde in sanctos arma movisse, & poculo impuritatum suarum circeo, reges terra characteri bestia servientes, numerumque nominis ejus, hoc est, Papam adorantes, dementasse. Et hæc in Ecclesia scholisq; laudum suarum monumenta posuerunt principes nostri. Quid de Republica dicam? Absque providentia Dei singulari, benignitateque presente si fuisset, iam pridem prævaluissent rana illa Ghesuitica, quæ ex ore Draconis (mancipii Antichristici) ex ore bestie (Papatus) & pseudopropheta (doctorum, cardinalium, & conciliorum Papæ autoritate generalium) egressæ sunt Spiritus immundi & Diabolorum, facientes signa fallacia, procedentésque ad reges totius terra, vel in Japoniam & Chinas usque (Huc enim ex Germania pulsam se contulisse Papisticam Idolomaniam fatetur VVindeccius) ad congregandum illos in prælium diei illius magni, quo fidelis ille, & verax oculis flammantibus, & diadematibus multis illustris Dei sermo, porrecto ex ore acuto gladio, Rex regum & Dominus Dominantium gentes incredulas, & Antichristo Papæ jurata fide obnoxias passim mactavit, & adhuc jugulat, tandemque uno impetu cum Gog & Magog in lacum sulphureum infernorum crutiatuum præcipitabit. Quis nescit Spiritus illos per omnia regna vagari, & compagibus rerum publicarum motis rumpere quietem populis, sublatâque pace & fædere ipsi Deo toties iurato miscere velle cælum terris, monarchiamque papalem stabilire, & imperium seculare sub iugum Sodoma & Gomorrha Cynædorúmque pontificiorum mittere? Cui ignota sunt, quæ pro temporali contra omnium regnorum & imperiorum potentiam papistica Ecclesia monarchiâ in publicum volant? Quem vel mediocriter de politica salute cogitantem latet vanissimum quidem, sed

non minus sanguinolentum de futuro Ecclesie statu prognosticon Iohannis Pauli VVindeccij meretricis Babyloniae amatoris insani? Vnum
noris, omnes noris. Ejusdem fecis, consiliique, & conatum sunt omnes
bestie Antichristica, quae agnum simulat & cornua duo similia agni,
ut loquitur Apocal. 13. Iohannes, gerit, satellites. Servet autem DEVS
domum Saxoniam, gentemque hanc illustrissimam robore potentiae suae,
& inter alios ejusdem proceres etiam IOHANNEM CASIMIRVM
nostrum excitet, ut pro communi salute strenue vigilet, vigilantibus
in circuitu ejus igneis equis, & quadrigis angelorum, ne quid detri-
menti iusticiae, & quieti politicae à malis istis, perniciosisque convul-
soribus, & consultoribus meretricijs evenire possit. Surgat heroicus
impetus magnanimorum Ducum, & intentam aciem in omnem diri-
gat partem, quae se illi Lapithae & Centauri, Gigantesque caelum poli-
ticum, & nexus rerum adamantinos rescindere divelleréque conjurati
inferunt. Esto tanquam alter Perseus, IOHANNES CASIMIRE,
qui Pegaso alato prudentiae, rationis, & sapientiae in sublime evectus
vel gladio Iusticiae concidas monstra, vel objecta Gorgone in saxa ver-
tas, ut desinant tandem fundamenta civitatum quatere, & summa imis
in gratiam Babylonicae monarchiae confundere. Animum tibi & fidu-
ciam addat Christus IESVS, cuius synceram pietatem cum proavis
tuis & parentibus es confessus, ut paratus sis pro LEGE, & pro GREGE.
Tibi templorum dignitas, tibi tribunalium integritas, autoritasque
sint cura; tibi civium tuorum iura; tibi forum, tibi agri, tibi domus &
sepulchra majorum. Tu esto per Deum optimum maximum pacis & con-
cordiae publicae sequester, Vinculum & custos. Quem clementem senti-
mus, eum experiamur in asserenda verbi divini pura veritate etiam for-
tem & magnanimum. En tibi haec augusta tuorum corona: En am-
plissimus ille, & venerabilis confessus vitam tibi gratulatur prosperam,
exoptatque annos etiam serae sapientisque cum pietate intaminata sene-
ctae. Aspice alumnos istos tuos, & studiosum caetum. Omnes parati
sunt dicere: VIVE IOHANNES CASIMIRE, Vive, & longum
Vale. Sub umbra alarum tuarum, divino beneficio, hic discimus a pri-
mis

mis unguiculis, veram de DEO doctrinam: hic fundamenta jacimus opti-
marum literarum. Quicquid Philosophamur; quicquid sapere incipimus
in Iuris prudentia; Quicquid de nobis ipsis intelligimus: Quicquid eti-
am per linguas peregrinas fari & perorare audemus, id post DEI Omni-
potentis gratiam tuæ debemus curæ. Ex tuo gymnasio prodibimus, DEO fe-
liciter aspirante, Theologia sacris initiati; Ex tuo justitiâ imbuti; Ex tuo
sapienter & liberaliter instituti: Grammatici elegantes, Oratores fa-
cundi & disertis, Poëta ingeniosi, disputatores subtiles & acuti; Ex tuo
medicinæ fundamentis delibuti: Ex tuo Geometriam eruditi; Ex tuo
castis moribus exornati; Ex tuo numerorum scientiam docti: sine tuo sa-
pientiæ Plantario, & Parnasso nec nosmetipsos, nec naturam fatemur nos
scivisse; sine tuo ignoravimus literarum mysteria; sine tuo nunquam
cognovimus adversus Platonicos cancos, beluas Lerne, proteos, Acheloos
& alia monstra pugnare. Quod in cælo verum solem, veramq; lunam à
simulacris distinguere novimus, tuum est beneficium; Quod essentiâ stel-
las à figmentis earum, & cometis secernere, tuum est beneficium: Quod
nubium terriculamenta, æris incendia, & fatuos ignes terrarum possu-
mus dijudicare, cujus, nisi tuum? Imò, quòd vivimus, autor & conser-
vator vitæ nostræ Deus, per te nobis confert. Tu nos clementiâ comple-
tere; tu prosequere amore, tu juva subsidiis, ut pervenire, quò contem-
dimus, & asperitates rupium sapientiæ in excelsis habitantis, exuperare
possimus. Si nos benè juveris, bonos aliquando senties ministros. Tibi
in nobis seritur; Tibi metetur. Nos afferimus tibi, & En ostendimus
pectora Timoris Domini & Sapientiæ capacia: En frontes nostras &
capita in optimarum disciplinarum semina proclivia. En manus orga-
num sapientiæ, artem artium, & instrumentum instrumentorum. His
parati sumus Spiritui oris dominici inservire, & pro fide veritateq; ala-
criter pugnare. Non omnes degeneres sumus: non omnes spina, petra,
calcata semita: Aliqui bonus ager, aliqui solum fecundum. In nos mit-
te semen frugiferum: Surculos sapientiæ pange. Spem tuam non falle-
mus omnes. Mores quoq; nostros ita componere pro divina gratia volu-
mus, ut te hoc Gymnasium excitasse, fovisseq; nunquam possit pœnitere.

Apophore-
tum natali-
tium.

Expecta saltem fructum ex nobis suo tempore. Diuturnitate enim stabili-
lur, & constantia doctrinarum morumq; perfectione. Non profert fru-
ctum, quod subolescit cito. Nullum simulatum diuturnum. Videtur mi-
hi in hac conclamare totum auditorium, & plausus ominus latissimi ede-
re auspiciatissimos. Tu firma animos Deus, & Spiritum tuum Sanctum,
per filium tuum, Dominum nostrum IESUM CHRISTUM, in eos
immitte, qui & voluntates reddat promptissimas, & sapientiae amorem
ingeneret, infigatq; penitus, & tandem fructum pro salute Ecclesiae & Rei-
publicae procuret amplissimum, saluberrimumq;, id quod natalitiis his
ex animo precamur omnes. Quoniam autem ab antiquo consueverunt
populi diebus natalibus non tantum leta quaeq; ominari, & de salute Prin-
cipum hilares dies sumere; verum etiam apophoreta mittere, ego qui-
dem quid tuae illustrissimae Celsitudini, IOHANNES CASIMIRE,
quod gratum & auspiciatum esset, mitterem, diu deliberavi. Vidi tandem
Bibliothecam tuam, & in ea miratus sum, tum Theologicorum volumi-
num numerum, tum historiarum copiam, ex quo intellexi, non tantum
felicissimae memoriae parentem tuum utroque studio eximie delectatum
fuisse, sed etiam tuam Celsitudinem ab eodem non abhorreere. Sit ergo
loco apophoreti haec historia: Rex Persarum & Cypri, COSTUS no-
mine, cum nullam haberet prolem, congregavit universam Medicorum
& Astronomorum multitudinem peritam, ut sciret, num in se esset steri-
litas, an in uxore, aut utroq;. Illi diligenter considerantes complexionem
utriusque, & planetarum, in quibus nati erant, Diem, Horam, & mo-
menta, responderunt, in neutro sterilitatem naturalem esse; a Diis pe-
tendam prolem. Rex congregata universa sacerdotum per sua regna mul-
titudine, sacrificium solenne diis immortalibus ad impetrandam sobolem
instituit. Cum autem id multo tempore absq; successu & temere agerent,
unus ex illis Macrobius nomine, professione astrologus ait; Rex in ater-

Act. 17. 23.
Hieron. in E-
pist. ad Tit. 1.
Oecumeni-
us in Act. A-
post. c. 7.

num vive, ne desperes. Dii enim sunt infiniti. Sed tantum Deo Deorum
IGNOTO offer sacrificium, & obtinebis cordis tui, spero, desiderium.
Quod audiens Rex Costus magnam auri copiam obtulit aurifabro, ut inde
Deo Deorum ignoto imaginem conflaret. Aurifaber in petra figuram ip-
sius

sius Dei ignoti exculptam concinnavit bis, ter, quater, ut ex auro fuso de more artis simulacrum obtineret. Sed ille semper figuram Hominis Crucifixi extraxit. Rex iratus transtulit aurum priore pondere in aurifabrum alium, consilio & instituto eodem. Sed & hic presente rege, & opus inspectante, non semel hominis cruci affixi effigiem consecutus est, idq; contra spem suam & expectationem Regis. Ea tandem forma, consilio Macrobiani predicti, in templum Deorum illata est; sed mirabile quid evenit. Omnia enim Deorum simulacra convulsa, prolapsaq; decubuerunt, solo crucifixo perstante (quale quid evenit etiam Palestinorum Dagoni, illatâ in templum arcâ Domini). Huic de cætero oblationes & sacra fecerunt; Et statim conceptâ prole Regina mater evasit. Hanc historiam* Iohannes Volfius ex Viterbiense & Reymundo Cardinale Gurcensi in Centuriarum suarum primam transtulit,

* Nota: Historia hæc sit, an probabile figmentum, nihil interest. Illud constat, sæpè præsentia veri Dei idola concidisse: et sterilitatem occultis de causis, pietate, precibusq; esse curatam gen. 20. 17. Sæpè autem ad ignotum Deum confugitum fuisse, invenies apud Baronium in annalibus anno Christi 52. sectione 7. 8. 9.

Vim ejus & mentem, Princeps Illustrissime, facile assequeris. Hoc mihi jam ad te apophoretum esto; Vtinam beneficio DEI crucifixi, & tua Celsitudo vim istius experiatur.

VIVE & VALE.

D I X I.



DE NATALI ILLVSTRIS-
MI PRINCIPIS, DN. IOHANNIS CASIMIRI,
DUCIS SAXONIÆ, LANDGRAFII THURIN-
giæ, Marchionis Misniæ:

ET memoriâ D. IOHANNIS BAPTISTÆ.

Vidimus illustrem duodeno Iunio ortu;
Donata a C nobis prosperitate bonVM;
Illud nempe jubar, quod primum contulit olim
Ingressum lucis, IAN--CASIMIRE, tibi.
Hæc tibi semper erit genialibus inclyta votis,
PRINCIPIS hæc festo sit tibi læta TVI,
O COBURGA, dies; sit & ô Gymnastica pubes.
Iunius haud ullus non memor hujus eat.
Ille tibi patriæ Pater, & Dux optimus, ECCE?
Dat super Aoniis suaviter ire jugis.
Ille tibi mentem literis, & moribus usum
Exornat vitæ. Quin bona verba seris?
Quid cessas? IunI jam dodecas altera præstò est,
IOANNISq; sacri nomina sacra refert.
Altera causa liquet, cur gaudia festa corones.
Est Dux IOANNES nomine, req; tibi.
Adde perillustrem CASIMIRVM. Gratia clemens
Clementem multa cum bonitate dabit.
Vive, bone ô PRINCEPS, festaq; huic annue luci.
Ut vivas, populi plurima vota volunt.

Andreas Libavius D.

Oratio natalitia secunda,

*Habita pro felici memoria solen-
niq; celebritate natalium,*

ILLUSTRIS-
SIMI PRINCI-
PIS ET DOMINI

D. IOHANNIS CASIMIRI
DVCIS SAXONIÆ, LAND-
GRAFII THUR. MARCH.
Miln. D. sui clementissimi,

*Ab ANDREA LIBAVIO, M. D. Gymna-
sii Casimiriani Directore, &
Professore:*

In Casimiriano ipso, die XIII. Iunii, anno
M D C IIX.

COBURGI,

*Impressa Typis Ducalibus, per
Iustum Hauck, anno 1609.*

GYMNASII CASIMI-
RIANI DIRECTOR AN-
DREAS LIBAVIVS OMNIBVS
AD ILLVD PERTINENTIBVS,
S. P.

PRæter cætera beneficia, quæ indies à DEO benignè & cumulativè ac-
cipimus, in Rep. illustre esse donum boni Principis, cuius pio & lau-
dabili præsidio, ductuq; salus publica rectè se habeat, & tam religio
sincera conservetur, quàm pax & justitia præclare administratur,
non opus est operosè demonstrare. Ut in capite humano, quando re-
cta ratio dominatur, sensusq; & intellectus vigent: quando item spi-
ritus animales bene conformati dispositiq; in sensoria, & nervos absq;
impedimento influunt & per totum corpus distribuuntur, sita est in-
columitas reliqui corporis, cuius singularia membra non privato ali-
quo vitio laborant: ita bona constitutione fruitur civitas tam circa mo-
ralia, quàm curam actionum cæterarum, laudabiliter & præclare se-
gerente capite ejus principe ob id à bono patre indiscreto. Punire
populum DEVS cum vult, pios principes mutat impiis, clementes
crudelibus: unde responsum cuidam percontanti, quare DEVS tam
malo Domino Rempublicam quandam mulcasset, accepimus, non
potuisse inveniri pejorem, quem populi peccata commerita essent.
Deprecanda certè talis ira DEI est, & correctè pieq; vivendum, sem-
perq; orandum, ut quem divina clementia dedit principem bonum,
cum diu nobis incolumem servet, suoq; Sancto Spiritu regat, ut omnia
consilia & actiones suas ad Dei gloriam, & emolumentum patriæ com-
munis dirigat, idq; tum aliàs subinde faciendum, tum maximè datâ
occasione, aut etiam aliqua legum necessitate imposita. Nostis hunc
esse diem, quo ILLUSTRISSIMVS Princeps & D. D. IOHAN-CA-
SIMIRVS, Dux Saxonix, &c: magno DEI beneficio, ante annos
44. primùm lucem vidit. Hujus cum sit Dominus noster & bene-
factor clementissimus, Natales celebrare lex jubet, idq; etiam effectum
hodie redderemus, nî Dies esset Christo sacra. Festam itaq; celebri-
tatem hanc in crastinum, DEO volente, rejectam sciat, ad quam
omnes invito, horâ primâ pomeridianâ in auditorio inferiore pera-
gendam, P. P. 12. Junii, Anno 1608, in valvis Casimiriani.



D. O. M. A.

PRIdianis Iduum Hecatombæonis Mensis, olim apud Græcos, maximeq; Athenienses, Viri Reverendi, Nobiles, Consulti, Doctiq;, quandam insignem celebritatem in honorem Saturni fuisse, conijcere ex illo Demosthenis contra Timocratem est, cum ait: Ἐκατομβαιῶν δωδεκάτη τὸν νόμον εἰσήνεγκεν Ἄθως, καὶ τὰυτὰ ὄντων κρονίων; Duodecimo Hecatombæonis, qui respondere Romanorum Iunio dicitur, legem statim tulit, & hæc Saturnalibus existentibus. Dissimiles nimirum in hoc Græcis fuerunt Romani, qui suo Sterculio (ita Saturnum appellabant, ab agrorum stercorandorum primum ab illo acceptâ disciplinâ) instituto Iani, ut narrat apud Macrobium Vectius, decembri mense honorem solennem, lata inter se convivia agentes, mutuamq; salutantes, & munusculis invicem, seu apophoretis missis bona captantes omina, exhibuerunt. Ajunt Pelasgos, cum Latio pepulissent Siculos, oraculo iussos fuisse Ditem capitibus, & viris Saturnum colere, qui decepti vocum ambiguitate, per Φῶτα, quæ vox & lumen, & virum signat, humanas victimas intellexerunt, & per κεφαλαῖς, capita hominum; sed Herculem nefandum ritum mutasse, substituto viris lumine, & capitibus, papaverum, aut ceparum globis. Non itaq; saltem geniale epulum, solenneq; convivium illud fuit, sed præcipuè culius gentilitius, & sacrum non parùm abominandum. Nobis nec Decembri mense Sterculium, aut Cloacinam honorare fas est, nec duodecimo Junii Saturni sacra peragere. Natalis Domini & Salvatoris nostri, IESU CHRISTI, qui est Deus benedictus in secula, Decembrem sibi vendicat in universo Christianorum orbe; Sed Iunius nostra provincia potissimum solennis esse debet, quod pridie Iduum in lucem, magno DEI immortalis beneficio, emisit insignem Heroem & D. D. IOHAN-

NEM CASIMIRUM, DUCEM SAXONIÆ, LANDGRA-
FIUM THURINGIÆ, ET COMITEM LIMITANBUM MISNIÆ,
DOMINUM NOSTRUM clementissimum, vel hoc nomine im-
mortali gloriâ, memoriâq; aternâ dignissimum, quod præter sincera reli-
gionis, & divini cultus conservationem, patriâq; & Reipub. summo stu-
dio defendenda curam, hoc Gymnasium provinciale, insigne stirpis Sa-
xonica monumentum, plantarium Ecclesiæ, & artium honestarum, li-
beraliumq; quasi prytaneum, & omnium studiorum, eruditæq; copie opu-
lentum mercatum, nec non exercitiorum ingenuorum palastram expedi-
tam, fructuosamq; condiderit, extruxeritq; ; neq; hoc solum, verum et-
iam solido veluti fundamento innixum, dotatumq; liberaliter firmave-
rit, atq; id porro ampliare, locupletareq; , tanquam unicam amoris sui pi-
entissimi filiam, & desideriorum nutricem jucundissimam, animiq; erga
sacra & humana præclarissimè affecti testimonium fidele, sempiternumq;
subinde cogitet, & nullam non exoptet, veneturq; hoc ipsum egregiè &
laudabiliter, ut par est facere tantum Heroem, Saxonica magnanimi-
tatis, & munificentie quasi hereditarium possessorem, præstandi occasio-
nem. Quod nî sit, quorsum huic excellenti edificio nomen CASIMI-
RIANI tanquam filio ex se unico, unicoq; heredi, in quem omnia cari-
tatis patriæ, paternæq; officia & argumenta conferenda, imposuerit?
Quorsum Casimirianum hoc suum non tantum legibus, institutisq; præ-
claris informaverit; verum etiam conductis Professoribus, allectaq; &
adjuta beneficiis juventute, aliisq; etiam peregrinis in spem magnam
exuscitatis, excoluerit, ornaverit, impleverit? An verò etiam dubitare
de propensissima illustrissimæ suæ celsitudinis affectione & voluntate er-
ga hoc Collegium possumus, cum videamus virtute majorum inductum,
& divinitus excitatum hunc Heroem nihil reliqui sibi facere, quod ad
ornamentum, incrementumq; , & tutelam in hoc Gymnasio docentium,
discientiumq; , & firmitatem legum pertinere possit? Latent istæ curæ pler-
osq; nostrum, sed si eas oculis præsentibus intueremur, quomodo dicunt Aea-
cum, Minotaurum, & Rhadamantum defunctorum animas absq; tegumento
inspicere: aut qualiter exoptaverunt Philosophi virtutum maximarum
nudos

nudos vultus, speciemq; invelatam cernere; singulari gratiâ divinitus
 perfusas, & desiderabili amore delibutas, atq; insuper plus, quàm ada-
 mantino vinculo, & trabalibus clavis junctas, roboratâsq; videremus.
 Sed quorsum hac commemorantur apud vos, qui Illustrissimo nostro be-
 nefactori partim ad tantas res auctores fuistis, partim minimè nescii pra-
 elararum ejus sollicitudinum, etiam adjutores suasoresq; ad hoc bonum
 tum continuandum, tum augendum, implendûmq; estis? Fas est sic fieri,
 Viri Reverenda dignitate, nobilitate, peritiâq; & doctrinâ eminentes;
 Iustum est hæc dici. Bono enim die & verba bona dicenda sunt, &
 benè ominandum. Auspicatum autem bonumq; diem nunc appello
 eum, quo veluti in orbem quotannis recurrunt natales Illustrissimi illius
 Principis nostri & D.D. IOHANNIS CASIMIRI, cujus illustrem
 Celsitatem, & felicem diu, salvamq; DEUS OPT. MAX. velit, & Ec-
 clesie Scholisq; salutarem. Diem hunc natalitium, quod quàm optimè ce-
 dat, sitq; non tantum provincie huic, verum etiam toti genti Saxonica
 faustum, felixq;, heri vidimus cum hebdomadario Domini & Salva-
 toris Nostri festo concurrentem; Et debuerat tunc sua solennitate illustris
 esse; Sed cum prima DEO tribuantur, cujus sacra totos, animis, mente,
 curisq; sibi vendicant, nè quid furtim quasi commisisse, aut perfunctoriè
 fecisse videremur, placuit idus ipsas celebritati huic festiva, & feriis Ca-
 simirianis in præsens addicere, & paucarum horarum moram synceriores
 affectu, gratulationeq; studiosiore compensare. Natum Illustrissimum
 Principem & Dominum nostrum, D. IOHANNEM CASIMIRVM, tum, aut na-
 nostis anno Salvatoris 1564. pridie Iduum Iunii, Patre IOHANNES ralem cele-
 FRIDERICO, cujus memoria in benedictione, IOHANNIS FRI- branda solē-
 DERICI Electoris laudatissimi, constantissimiq; & cv εγίοις, filio, & nitas inci-
 matre ELISABETHA Palatina, beatissima memoria, Principe pienti- derit, differa-
 ssima. Annum itaq; jam, quem CHRISTUS IESVS, autor & consumma- tur.
 tor, atque adeo plenitudo dierum nostrorum, prosperum domui Saxonica,
 provincie nostræ salutarem, & Heroi, Dominoque nostro, quàm exopta-
 tissimum faxit, post exactos quadraginta quatuor agere incipit quadra-
 gesimum quintum, à quo benè inchoato, piè, feliciterque transactò,
 d 3 & opti-

Leo Imper.
 lib. 3. cod. tit.
 12. de feriis
 leg. ult. Si in
 nostrum ot-
 tum, aut na-
 ralem cele-
 branda solē-
 nitas inci-
 derit, differa-
 tur.

*& optimè concluso, ut porro vitæ, ætatisquè benefactoris nostri Domini
IOHANNIS CASIMIRI longo ordine numeremus multos, & mul-
ta fœcunditate stirpis Saxonica etiam auctos videamus, quis piorum
sit adeò ingratus munerum divinorum aestimator; aut tam Cyclopica
barbaraq; feritatis, & ingratitude adeò immanis, quin ex animo
optet, omnibûsque precetur votis? Gratulamur hac auspicio Illustrissi-
ma Herois nostri, IOHANNIS CASIMIRI excellentiæ, eique mo-
re Romano quidem, sed pio, minimèque fucato affectu acclamamus;
Vive IOHANNES CASIMIRE, Princeps inclyte; vive, va-
leq; longum, carus DEO, acceptus patriæ, & exoptatus gen-
tituæ. Vive Ecclesiæ nutritius; Vive scholarum pater, & incre-
mentum; Vive ornamentum omnium bonorum; Vive Reipub.
columen, & emolumentum, & beneficijs, divinòque munere egregiè
declara, te quoque in eorum esse numero, ad quos divinum oraculum pro-
ditum est; Ego dixi: vos Dii estis, id quod maximè divinum offi-
cium circa divina, humanaque administrando, hominibûsque benefaci-
endo consequeris. Tu vicesimus sextus es à Sighardo primo Saxonum
Rege, ea gente progenitus, quæ jam per annos nongentos septuaginta du-
os Regum potentissimorum, & principum laudatissimorum, Electorûm
que maximè illustrium, & autoritate in imperio, dignitate, opibus, quin
& pietate, omnique virtutum genere præcellentium, fuit feracissima.
Fas est arbitrari, cum in publicum prorepere inciperet filius ille per diti-
onis, & homo iniquitatis, Antichristus Babylone Europæa Roma
(quam anno 546. à Totila Gothorum Rege destructam, posteaq; etiam
cum restaurata quodammodo esset, circa annum Christi 663. exhaustam,
evacuata, spoliataq; Papæ reliquit Constans Imperator, utpote se-
dem futuram, ut Apocal. loquitur, dæmoniorum, & custodiam omnis
spiritus immundi, omnisq; volucris impuræ, invisæq; , cuius abomi-
nandæ scortationis, & Idolomania: vino inebriarentur omnes gentes)
occupatâ, Deum providum futurorum, singulari quadam dispositione
gentem hanc Saxoniam simul evexisse, nè suo tempore decursâ fatorum
serie, & impletis malitiæ babylonica mensuris deessent, quorum operâ &
ministerio uteretur idem ad producendam ex latibulis, desertog; Eccle-
siam*

fiam, & impium istum Spiritu oris sui conficiendum; ad quod certè divi-
no munere heroibus Saxonis, nec sapientia defuit, nec animus contra
omnes fortuna insultus erectus excelsusq; nec tandem constantia, & ve-
re fidei confessio nullis minis aut periculis extorquenda, labefactanda ve.
Quæ quæso seculorum multitudo extinguet benefactorum divinorum
per FRIDERICOS, IOHANNES, IOHAN--FRIDERICOS,
& alia Saxonica hujus familia lumina memoriam? Natales IOHAN-
NIS CASIMIRI nostri, surculi felicissimi istius stemmatis, & ma-
gnarum virtutum, operumq; præstantium, & expectationis præclaræ ne-
potis, etiã istam nobis hodiè revocant, recentemq; semper faciunt. Sed non
est, ut rerum notissimarum, & in universo orbe proclamatisimarum
mentionem porrò vellicentur, obundanturq; quasi aures vestra: Et tamen
diei festivitas aliquam, de qua declametur, materiam postulat. Vellem
dignam, satisq; augustam pro hac celebritate elegissem: vellem ei patro-
num facundiozem, & non tam loquentem, quàm periclaeo fulmine deto-
nantem, aut etiam tulliano torrente inundantem dari. Sed fortasse etiam
in tenui elaborare, non fuerit inutile, nec auscultasse aliquando balbuti-
entes quoq; ingratum. Far modicum offert, cui non est thus domi, & pu-
tabat pastor ille, cum non posset maximis sacris operari, contentum fore
Deum, si indies ter in nomine ipsius trans fossam salisset. Si non assunt
carnes, salsamentis contentos esse oportet. Recitabo vobis, nè pigeat ani-
mum advertisse, non mea commenta, sed ex antiquitate productas ora-
culorum priscorum de re sacra picturas, tabulasq;, in quibus sunt olim
quidem præsignata rerum fata, sed patrum nostrorumq; temporum me-
moriã, non parvã ex parte inter domus Saxonica, quasi manus & auspi-
cia evidenter gesta & impleta, ut mirum sit, tantã evidentiã non potuis-
se pridem inducere animos pios ad renunciandum Papali idolomania: &
nè jam quidem posse præfractos obstinatosque in Papatu. Sed Deus novit
suos, quos non solet calare futurorum, in his quæ scire interest Ecclesie, e-
venta. Nos autem hebetudine & tarditate quadam mentis etiam ad lu-
cidissimam cæcutimus, & sæpè minus intelligimus vaticinia, quàm clypei
sui imaginem Aeneas. Exhibuit autem multa istiusmodi in lictionum

mcmo-

memorabilium, & reconditarum centuriis suis Iohannes VVolfius, cele-
bris ille, quem nostis, iam inter beatos, Iureconsultus, ex quibus duo tan-
tū monumenta, quae mihi videntur ad praesens institutum accommoda-
tiora, excerpam, verbisque quā perspicue possū depingam, & sine pra-
iudicio pro simplicitate mea, quid de iis videatur, plano sermone dicam.
Vos mente favete, & linguis, parumpérque auscultare non dedignamini.



Tabula prima, quam VVolfius
ille in anni 1444. Historiis re-
presentavit, dicitur viginti
annis ante natum Christū con-
cinnata, tributaq; Sybilla Ti-
burtinae inventrici, Saxo im-
pressis figuris, quae, cum circa
annum 1495. ex urbe Altina
Venetias esset deportata, tandē
an. 1548. in lucem prodit, ty-
pisque est divulgata. Aere hic
vides impetu illabentium à
quatuor mundi partibus flu-
viorum inquietum, & flucti-
bus intumescentis. In eo Tiri-
mus est, absque velis in summo
aperta. Quā parte se oculis o-
stendit, nempe latere sinistro,
remos tres in undas demittit,
quorum palmulae clypeorum
formā sunt conspicua. Depen-
det inde & anchora, quam sa-
crā putes. Est autem prope

litus, quo periculosioris iactationis metum spectatori incutit. Prora por-
recta est in praefractum in scopulo arboris truncum, herbidā viriditate ju-
cta radices pubescentem, sed caetera nudum, exsuccumque & arefactum.

Ei, ritu

Ei, ritu veteri Heroum, insignia Regum Gallie, tribus lilijs distincta, sunt adjecta. Prora ipsi posterioribus pedibus, maximèq; sinistro, Leo insistit, ita, ut ferè attingere truncum videatur: anterioribus autem & toto corporis nisu, rictuque patente, pronus in medium navis, ubi rudentibus firmatus apparet malus, fertur, caudâ sursum erectâ, ita ut incumbentis viri pedem sinistrum juxta suras amplectatur. Irritatum eum putes morsu unguibusq; malum petere. Puppis in castellum pinnatum, & cameris suis, propugnaculisque instructum, effigiata conspiciatur. Huic insistere alter Leo debuit, ut ex Historia colligere est. Sed in exemplari VVolfiano, eum omisit pictor, Pinnae in lateribus eminent quatuor, postico pariete integro. Quartæ lateris dextri, quæ medium navigij respicit, affixa est rota. Cæterum è media carina erectus in altum malus decumanus est, sed qui postquam pinnas puppis exæquavit, præcisus sit, inq; speciem capitis columnæ conformatus, imposito globo. Nihil hinc velorum, nihil antennarum; & reliquæ suppellectilis. Sed nec clavus apparet, nec transtra. A puppi saltem ponticulus, formâ scalarum nostratium, in caput mali protenditur. Supra navim eminent duæ statuae viriles, utraque præter succinctum nuda; sed mirabili situ, & ornamentis. Dextrum latus occupat forma humana, facie glabrâ, muliebri. Sinistrum species mascula comata, barbatâque vultu hirto austeroque servat. Illa dextrum pedem imposuit globo in capite mali collocato; sinistrum rotæ, quæ est in dextro puppis pinnaculo. Sed vir barbatus plantâ sinistrâ Leonis, qui est in prora, tergum tangit, & caudæ ejus reflexæ crus suum inserit; dextrâ itidem globo mali innititur. Eo utraque statua situ est, ut imberbis in proram, sed barbata in puppiem prospiciat, sitque utraque nonnihil inclinata. Imberbis seu glabra (tonsam enim arbitraris) in vertice gestat pileum hemisphericum, seu mitram sacerdotalem, quam tutulum vel cydarim vocant, à qua triplex regiâ specie, in turrim consurgit corona, summum apicem claudente crucis simulacro, quâ formâ id piy Reges coronis suis, & Reginae frontibus quondam imposuerunt. Ita Pontifices Romani, postquam Antichristum induerunt, consueverunt pingi, fingique, & solenniter coronari, nec

raro in publico se ostentare, quanquam non omnes sint vaso ad speciem
fœminarum mento. Statua barbata ruitura similis, magis se incurvat,
gestatque in vertice coronam regiam armillis, seu circulis decussatis, de
more, junctam. Regem hinc agnoscas, à cuius occipitio proluxa cesari-
es in dorsum dependet, quâ formâ gaudet hodie nobilitas, & olim tunc
summi Reges, tunc Nazarei Iudeorum, eratque ista comtura signum
principatus, nobilitatis, & libertatis, quâ ablatâ, simul amittebatur do-
minatus, & velut ignominiam notata persona, spe imperandi precisâ, in
monasterium intrudebatur. * Papalis effigies paulò ultra regiam
eminens, ab eius sinistro humero manum demittit dextram ad lumbos
usque, quasi in lapsum proclivem sustentare vellet, aut penitus, quod
verisimilius, evertere.

* Clodius Faramundi Fil. Rex Franchorum in Gallia II. iussit suos comam
alere, ut à Gallis dignoscerentur, quos armis subegerat. Inde capillatus est
dictus. Funcius ad an. Chr. 427. Baronius ex Agathia Græco de moribus
Francorum scribens ad an. Chr. 514. notat Reges tantum à puero instar
Absalomi nutrisse capillum, eumque à fronte summa arte discriminatum,
& in terga rejectum: cæteros fuisse tonsos. Sed id principum omnium
fuisse Saxonum, Palatinorum aliorumque; vetustæ picturæ indicant. Addit
ex Sydonio Apollinare reliquos Franchos cervicem rasam gessisse, usque
ad verticem ferè, unde in frontem demissus crinis, quâ formâ hodie
nonnulli rustici & scholares, tondentur cum quibusdam sacerdotibus.
Patet autem Germanorum & Franchorum commune nomen ex eodem,
Agathia.

Dubio enim est positum, ut lucetane sit, an insidiosum auxilium, ambi-
gas. Sinistra super puppim porrigit libellam aquatis lancibus, & ligu-
la aequilibri. Ab ejus media corona anguis crassus, seu Draco proce-
dit, & caudam quidem versus puppim super regio diademate in orbem
implicat; sed collo reflexo in humerum Papalem, inde morsum minita-
tur regio dorso, cui hiante rictu imminet. Nec parum admirationis
habet species regia. Cum enim in casum propendeat, manu quidem
dextrâ videtur amplecti Pontificalem figuram, sed sinistrâ deorsum ad
clunes Papales demissa, sceptrum per medium confractum, ita ut scapus
quidem adhuc sit in manu, sed pars ejus superior, cui præfixa est lily
imago

imago, delabatur, & apice directè in puppim devertat, tenet. A collo
 eius turgens nummis dependet crumena, longo loro usq; ad genua papa-
 lia demissa. Papa oculos à regio tergo in proram dextrorsum secure de-
 flectit; sed Rex ipse tristi vultu, quasi lacrymabundus, deorsum vertit
 lumina, dolens nimirum fracti sceptri infortunium, & casum suum
 miserans, Papam interim exporrectam, hilariq; & audace fronte, conscien-
 tiam perfidiae dissimulante. Audendum enim fuit. Audaces, nec parum
 impudentes fortuna juvare dicitur. Porro ita in medio tabulae capiti-
 bus statuarum positis, à plaga dextra, supra proram, astrum quoddam
 affulget, & radios adinstar caudati syderis cometae, in posteriora Regis
 projicit, quasi miseri afflictiq; lugubrem casum infelicis stellae afflatus
 adjuvaret, in depositi, dejectiq; artibus Italicis Regis locum Pontifice im-
 pudenter connitente. Syderis corpori, seu disco inscripti sunt numeri,
 eo ordine, quo in additionibus, & subtractionibus Arithmeticorum fieri
 solet. Nam primam seriem obtinent 126. His subjecta est linea; post
 quam sequuntur 18. quibus supposita 26. et his 72. Ita impleta est pla-
 ga dextra è regione capitum. Sinistra duobus scutis est insignita. Angulo
 astat aquila biceps utroq; vertice coronato, & circumducto radijs, tan-
 quam sacro signo. Imbrem vocant, qui adjici solet sacris statuis, contra
 volucrum insesus. Solet sic pingi Romana aquila, quam vexillis, &
 labaris militaribus olim inserebant Imperatores; putanturq; Germani
 bicipitem pingere, tanquam duplicem, quod duo signa pratoria olim,
 Quintilio Varo cum legionibus caeso, retulerint. Rostris hiantibus u-
 num caput ad proram versum est, alterum ad puppim, putes Orientem
 & Occasum designari. Ala semiaperta veluti volatum meditantis; un-
 gues compositi in capturam, aut vindictam. Inter hunc clypeum, &
 caput regium, est signum regni Galliae, cum tribus lilijs, & imminente de-
 super corona. Ajunt duo haec scuta à pertica, seu trunco pendere debere, &
 sub aquila scribi: Sum, qui eram, nec eram, qui sum: Sub lilijs:
 Galliae Rex, pugnans pro Babylone. Verum haec anathemata omi-
 sit pictor. Et sunt fors interpretis potius, quam vatis, uti & adjectae
 scripturae in alio schemate. Tandem tota tabula planities quatuor lineis.

in centro decussatim se interfecantibus, in octo triangulos acutos est divisa, nempe protensis ab angulo ad angulum, & deinde similiter per laterum quadrati media ad angulos rectos diametris commissis. Capitibus linearum additi sunt numeri & Cyphrae 4.2.0.8.4 (quaternarius hic appictus est malo, non centro.) 0. 1. 2. 60. Ita se habet tabula prima, uti eam exhibuit VVolfius. Sed notandum alias quoque eandem propositam inveniri, nonnullis adjectis, aut mutatis, id quod interpretum conjecturis variis, & additamentis ascribi potest, quanquam sculptores pictoresque saepe non assequantur prototypos, & aliter reddant nonnulla, quam debebant.

Pictura eadem alibi excusa, à VVolfiana variat in sequentibus 1. In Angulo superiore dextro, aquila quidem biceps est cum scuto gallico coronato, ast eo positu, ut non iuxta astet, sed insistat, prolixamque demittat caudam. 2. Papalis figura manifestis signis foeminea est, dextram mamillam protuberante; loco sinistrae cordis rubri specie expressa. Est & conspicua natura, unde sexus foemineus judicatur. 3. Draco qui adjectus est collo, alatus, pedatusque conspicitur, & rostrum non in regium tergum intendere, sed reflexo collo, exertaque lingua veluti cum Papa consultare. 4. Adjectum ei scutum est, in quo serpens cum tricuspide ad caput corona. 5. A regio collo in dorsum eius scutum, cum bicipiti aquila nigra projectum est, ascripto nomine Carolus (proculdubio conjectoris additamento.) 6. Crumena turgens eo est situ, ut naturae muliebri sit subiecta, quasi inde propenderet. Appinxerunt ei tintinnabulum, quale adhibent pontificii in suis mysteriis. 7. Leo sinister in signe Hispanicum gestat. 8. Pro malo pingitur tantum corbis, rudentibus quatuor alligata. 9. Ei subiecta sunt tria scuta; Vnum Rota Moguntiacae; alterum cancellatum; tertium sulcatum seu distinctum quatuor rubris lacunaribus. Sub cancellato est aliud triplici ordine transverso distinctum, rubris duobus scilicet, & uno albo in medio, idque in carinam demissum est. 10. E navigio porro tres remi in Mare projecti pendent; singulorum palmula insignita sunt Imaginibus suis: dextra Leopardi gemini speciem habet; sinistra quinque nigra lacunaria, in campo rubro: Media divisa est in dextram & sinistram regionem, dextram occupante dimidia aquila, sinistram trium planorum segmentis

gmentis, quasi scutum esset duplex, utrinque prominente alterius dimidio.
11. Infra palmulas remorum anchora est magna, sex scutis exornata;
quod à dextra primum est, aquilam passis alis in rubro campo gerit; secun-
dum in rubro campo quatuor trabes habet; tertium in quatuor plani-
cies sectum permutat duos leones, & cancellos totidem: quartum in rubro
campo albam exhibet rotam: Quintum in albo campo crucem nigram;
Sextum in eodem rubram tenet. 12. Absunt numeri, & linea; 13. Cometa
diverso vultu est pictus: 14. Tandem ab expositore Germanico, verba
nonnulla sunt ascripta; ut sic liquidò constet, Vaticinatricem istam tabu-
lam à diversis iudicibus, diversa esse passam. Proculdubio autem essentialia
ejus sunt ista, quae cum re gesta & historica veritate consentiunt, sive ante
natum Christum sit confecta, sive post ex conjecturis, rerumque aliquo e-
ventu collecta. Sanè quo tempore vixit Carion, & Capistranus nondum re-
velata erat adeò dilucidè significatio, quam nos jam temporibus nostris
partim ex certis historiis recolimus, partim vidimus & videmus.

Hac autem tabula cum ad Iohannem Capistranum Silesium Monachum
(qui vixit circa an. Domini 1454 Nicolai V. Pontificis legatus, prodi-
gusque admodum indulgentiarum Papalium praeco, si quis vellet nomina
ad Turcicum bellum dare) pervenisset, rerum ignarus, haesitabundus
admirator, instar Aeneae, in ea oberravit. Apparuerat Cometa an. 1460.
Capistranus hunc ipsum esse arbitratus, quem angulus tabulae dexter ad
caput Pontificale exhiberet, incepit divinare, & fata tacita eruere, mira-
biliterque de futuris existimare. Sanè ingens bellum cum magna regnorum
mutatione circa annum 1547. praedixit, iudicaturque non aberrasse, quan-
doquidem mortuo, precedente anno, D. LUTHERO, & indicto pro-
testantibus bello, CAROLUS V Imperator, IOHANNEM FRIDERI-
CUM, constantem illum confessorem, & pro causa fidei in omnia para-
tum pericula, atque ob id non temerè aureâ cruce ab ortu in dorso insigni-
tum, Illustrissimorum Principum, & Dominorum nostrorum, IOHAN-
NIS CASIMIRI, & IOHANNIS ERNESTI, Duc. Sax. &c.
avum paternum, pietate, animoque magnum, & aliis dotibus nulli secun-
dum, nescio quibus artibus à belli sociis divisum, postquam animosè dimi-

eans, in facie vulnus acceperat, oppressit, captumq; in quinquennium de-
tinuit. Sed quid hoc bellum ad reges Francorum cum pontifice super po-
mo mali in triremi colluctantium? Quid hoc ad sceptrum Galli fractum
& reliqua? Iudicia ille ex Cometa, quem fors tabula adiecit ipse, ut
& alia parerga, sumserit: ex pictura Sybillina, quomodo? Quaedam
tamen Capistrani corrigere conatus est Iohanues VVolfius. Ego utriusq;
opinionem in medio relictas, vestro committam iudicio, & quid in pra-
sens videatur, perlustratis historijs Ecclesiasticis, politicisq;, & perpensis
fatorum symbolis hieroglyphicis, factaq; collatione cum similibus, quin
& assumtis oraculis divinis, omnibus autem diligenter ad tabulam ac-
commodatis, exponam paucis. Quid enim opus est de re omnium ocu-
lis, iudicioq; exposita, multum verborum facere? Quis est, qui non ex
effigie tristephana Pontificem Romanum, postquam in Antichristum mu-
tatus est, & ex specie regia cum sceptro liliaceo, Francorum regnum, Re-
gesq; possit colligere? Illud tamen mirum est, qui Cydaris Pontificalis
triplicem coronam acceperit, & scutum Gallicum, tria lilia, cum eo tem-
pore, quo dicitur facta tabula, neutrum fuerit? Reges Francorum legun-
tur initio signasse tribus ranis in albo vellere, seu planitie: post leone in
campo caeruleo cum cauda serpentina. Ita enim de hoc Hildegastus: Galli

Videntur hi
ex Gotthis
fuisse: sequē-
tes ex Fran-
chis Germa-
nis, neutri
verò Galli.

ranis tribus abjectis, quas olim ex Scythia in albo vellere adduxerant, Leo-
nem cum anteriore corporis parte in vellere Blavi coloris depinxerunt pe-
dibus ad capturam extensis, & ore frementis more, aperto, cujus inferior
pars corporis in caudam serpentinam desinebat, quâ collum aquila desub-
tus in vellere aureo, expansisq; alis depicta fortiter alligatum videbatur
comprimere, & suffocare; quod prudentiâ & fortitudine superbum Roma-
norum dominatum cuperent compressum, & castigatum. Sed circa an-
num Christi 484. Clodoveus Rex tria lilia in scutum francicum intu-
lit, & his solis pro signo regni est usus, quod persuasum esset, ea caelitus esse
demissa, quanquam ipse adhuc gentilitiae superstitioni deditus, utpote con-
versus victis divina ope Germanis circa ann. 498. Tristephanus autem
pileus etiam serius usurpatus est à Romanis Papis.

§ Circa ann. Chr. 473, Glycerius Imper. V Vestgothos in Gallias ab Ita-
 lia aver-

lia avertit, cum eas prius tenerent Ostgotthi, qui admissis illis commune habuerunt regnum. Veruntamen Gallia à tribus possidebatur Dominis, Gotthis scilicet, ex hæresi Ariana; Burgundionibus, & Franchis, Parisios & viciniam obtinentibus, ubi Childetico defuncto successit Clodovæus an. Chr. 484. qui primus dicitur Christi fidem suscepisse antecessoribus suis ex Francia orientali in Galliam illapsis infidelibus, & Romano Imperio infestis.

Laborat quidem Baronius, ut jus coronæ papalis deducat ab ornatu summi Pontificis Iudæorum, quem vult Cydarim gestasse triplicatam coronâ, ex sententia Iosephi lib. 3. Antiq. cap. 11: postea in novo testamento in longè perfectius quiddam mutatam, ita ut summum sacerdotium cum summo imperio conjunctum translatumq; ab Aaronico ritu, ex umbra in essentiam mutato & Papæ Romano, Christi vicario, commisso debeat indicare. Nititur hoc comprobare ex templo D. D. IACOBI ET IOHANNIS Apostolorum, qui aureas lamellas in capite gestarint; quin & rasuram coronalem, qualem hodiè gestant clerici, & qua credit Petrum quoque & alios Apostolos fuisse insignitos, honoratosq;, hoc est, characterem in regno Antichristi eminentium & vendentium, seu simoniam exercentium, in hoc ipsum, nempe, ut probet, Papam jure moreque majorum gestare triplicatam ex auro & gemmis coronam, adducit. Telesphorus de Cusentia, triplici figurâ representat Sathanam, Papæ coronam istam porrigentem & imponentem. Legite quæso, quæ iste deploratissimus monachus Baronius magno cum supercilio, sed varietate ridiculâ declamitat ad annos Christi 34. 58. & 514. Verum nec Elementa judaica recepit Ecclesia Christiana, nec talis corona fuit summi Iudæorum Pontificis, quæ potius in regis pæguani, aliorumque gentiliam & Machometicorum verticibus cernitur. Quanta verò audaciæ & impudentiæ est, monasticam tonsuram affingere D. Petro, & ex ea coronam Pontificalem plus, quàm ullâ chymicâ transmutatione facere? Tertullianus in libello de corona militis, ne vegetabiles quidem coronas permittere potest Christianis, atq; adeò nec ullâ aliam, nisi fortè spineam Christi, quâ oportebat etiam caput Papale exornari, si velit alter Christus esse p ut Baronius tradit, Papam à concilio Romano an 495. Exaudi Christe: Vita Gelasio & c salutatum fuisse. Non minus autem Traditionem Apostolicam

COM-



contra coronas producit Tertulianus, quàm Baronius p pontificali triplica-
 ta. Erat autem olim Corona sacerdotalis nihil aliud, quàm ultimus ambi-
 tus, seu circulus in hemisphæricis sacerdotū mitris. Perinde ac si quis hodiè
 cucufas Medicorum, & capitia, seu pileos semio vales magistrorum tania
 lata, vel Zona prætexta ornaret, aut aureo circulo clauderet. Reges ute-
 bantur Diademate, seu fascia ex purpura; interdum & auro, Gemmis,
 margaritis, ut apparet in nummis Constantini, Iuliani & aliorum. Itaq;
 cum Pompejus crus laesum obligaret zonâ, Regni affectatione est notatus,
 & Alexander Magnus suo diademate cohibuit vulneris, Lysimacho à se
 per imprudentiam infligti, unde illi regnum prædictum, hæmorrhagiam.
 Fœminæ Francicæ, potissimùmque virgines nostro tempore talibus fasciis
 capillos passos coërcent in signum libertatis; perinde, ut nostrates sertis
 ex floribus. Mares pileos ornant circulis pro corona, ut indicent se libe-
 re gubernationi, regiæq; addictos esse. Pilei olim erant libertatis indici-
 um, quale apparet in nummo Tiberii Claudii, & Antonini Caracallæ.
 Quin & hodiè in Angliæ comitiis augustis regiæ dextra astat magna-
 tum aliquis, & pileum libertatis baculo sustentat. Aulogætopes coronas
 super nudo capillo gestant immotas. Nullum enim agnoscunt superiorem.
 Qui pileos coronabant, sub potestate majoris se esse indicabant. Itaq; &
 pileo moto corona simul movebatur, & posito ponebatur. Sed hodierni
 mores sunt mutati, neq; etiam olim apud omnes gentes observatum est i-
 dem. De Romana saltem consuetudine antiqua ista fuerunt producenda.
 Cum itaq; inter hodiernas coronas, & veteres, tantum sit discrimen,
 unde Papæ, Gallog; corona, & insignia talia? Num luxuria hæc Sculpro-
 ris est, aut additamentum Capistrani? Verùm ubi vaticinii reverentia
 est, ibi cessat querendi, admirandique curiositas. Propheta sic vident,
 proponuntque longè futura, ac si jam in usu, & ante oculos versarentur:
 nec refert, talesne coronas pinxerit Sybilla, an representaverit sculptor,
 cum tristephanum istum etiam subterraneæ specus in fodinis bituminosis
 Istebia perhibeantur genuinâ formâ in lapide fissili exhibuisse. Illud
 mihi videor ex ista hieroglyphia exculpere posse, tunc nimirum res tabu-
 læ istius in mûdo apparituras, cum jam Pontifex superbo vertice talem Cy-
 darimæ

Vide inone-
 tas veteres,
 quas passim
 operi suo in-
 ferit Baroni-
 us.

darim esset ostentaturus, & Franci lilia in scuto pralaturi: Religione priscâ
jam in cauponariam & meretriciam mutatâ, quale quid innuit Papa fœ-
mina cum suo juxta interfœmineum marsupio campanulato, siquidem
hæc sunt pictura essentialia. Par questio poterat esse de Leone Bohe-
mico, quem ajunt Vladislao primùm à Friderico (quidam nominât
Henricum IV.) concessum colore albo cum geminata cauda in rubra
planitie, circa annum Chr. 1086. vel 1184. sed eadem est & hujus dubij solu-
tio. Fata divina providentia sunt venturorum præscia, nec essent prædi-
ctiones vera, ni responderent eventis. Cinctus autem Rex est coronâ
super nudo capillitio, quod est signum libertatis absolute ab omni do-
minatu superiore. Galli defecerant ab imperio ferè eo tempore, quo
Gotthi Italiam vastabant, * & duce Alarico Romam quoq; ipsam ca-
piebant.

* Galliam ab imperio avulserunt barbari Gotthi, Burgundiones & Fran-
ci orientales, ita ut primus Rex Francorum in Gallia nominatus sit Fara-
mundus, circa ann. Chr. 420. Baronius à Childerico, qui Parisios cepit,
inchoat regnum ann. 456. imperante Martiano. Inde victis Burgundio-
nibus & Gotthis soli Galliam tenuerunt Franci.

Illo isto seculo etiam Lilia sunt introducta, ut dixi: nec multò post in publi-
co apparuit Antichristus Romanus; ut si tempora concilies, Pipinum, Ca-
rolum Magnum, & sequentes, cogaris insignium ductu, Pontificibus
Zacharia, Stephano secundo, qui primus humeris gestatus est, Step-
hano 3. Hadriano 1. Leone 3. & aliis adjungere. Nam his temporibus Pi-
pinus Francus Caroli Marcelli, F. Marsupio suo ponderoso effecit, ut pro
Childerico rege in monasterium impacto, eveheretur in globum munda-
ni regiminis, cujus evectionis precium fuit patrimonium illud Petri Ro-
mandiolam & exarchatum Ravennatem tunc ad Græcorum Imperato-
rem pertinentem, comprehendens, fictitio titulo ad Constantini Magni
donationem relatum. Hoc quidem evenit circa annum Salutis 749. &
sequentibus, donec confirmatum haberet. Dicitur quidem Papa, & Pipi-
nus initio ab isto facinore abhorruisse: Sed, ut Baronius annotavit, pri-
dem anno 514. Clodovans suasu Remigii Remensis Episcopi ad D. PE-

f

TRUM,



Gallie re-
gnum Papæ
traditum.

Scripturam
pictor non
expressit.

TRUM, hoc est, Papam Hormisdam miserat coronam auream gemma-
tam, que regnum solet vocari, atq; ita arbitrio Pontificis Romani coro-
nam regiam subjecerat; unde jus aliquod in istud regnum putavit se ha-
bere Pontifex, quò firmitus Burcardo illo monacho, qui præmium iniqui-
tatis, ducatum Franconia reportavit, intercessore, persuasit regni proce-
ribus, ut abjecto Hilderico, Pipinum regem facerent, à quo, & **CARO-**
LO MAGNO, victis Longobardis, non tantum adjuncta est dignitas Pon-
tificia, verum etiam locupletata, & stabilita. Itaq; non male subiecta est
Scriptura Gallico insigni, Gallia Rex pugnans pro Babylone, si
modo hæc est Sybilla, & non iudicio Interpretis adjecta. Sed anceps tamen
utriusq; in globo est conversatio. Quanquam enim Papa videatur juva-
re jam lapsurum regem, & sustentare; tamen conjicimus ex serpente in-
postico ei morsum intentante, & impudente, audacèque vultu, quin &
fractò sceptro, Papam cum eodem de regno colluctari. Ideò & libellâ mon-
stratâ significat, sibi penderandorum regnorum potestatem esse commis-
sam, juxta illud Danielis 5. v. 22. appensus es in statera &c. § ut
dejecto Childerico III. substituere Pipinum & Carolum Magnum, aliquâ
specie juris possit.

§ Romana meretrix, quos Reges vino scortationis suæ inebriavit, etiam
pecuniâ, & regnis exiit, ad se tractâ potestate supremâ. Vide brutum ful-
men: & Volfium, ad ann. Chr. 750.

Ita Pipinus, cum à Constantino Copronymo, tunc Græcorum Rege,
admoneretur, ne quod alterius esset, occuparet, titulum justî prætendit,
quod pro peccatorum veniâ impetrandâ, quicquid in Italia adipisceretur,
Romano sacerdoti deberet: quo ipso prætextu Theodorus Cataxanti Re-
gis F. Papæ donavit hereditatem suam, quam in Italia habebat. Hoc
nimirum est apostolicum agere, & gratis dare gratis accepta:
Sed ad institutum. Reges deponere, aliòsque in solium intrudere, Pon-
tifex non in regno solùm Gallia, verum etiam imperio attentavit, ven-
dicans sibi gloriam translata à Græcis ad Germanos imperij, quod ta-
men exile admodum est, sicum pleno Romanorum dominatu confera-
tur. Id innuere voluit, qui subjecit aquila signo, Sum, qui eram,

ncc

nec eram, qui sum. Neque enim occidentale imperium antea tenebant Germani. Ideò non erant ante id, quod iam existebant; Et tamen Romani Imperatores erant. Præterea à Roma nomen habebat principatus; Et tamen ista erat in potestate Papa, qui & in Italia plurimum dominabatur. Erat nomine Romanus, sed corpore orientali hemiplecticus, & mutilatus. Tali verborum permutatione utebatur etiam Angelus in Apocalypsi Iohannis, de regno Italia, quod vocat Bestiam, quæ erat, at non est, quanquam sit, utpote octavus Rex, de 7 septem unus (Octavus est ratione Imperii, unus de septem est propter regnum, quod est ex septem occidentalibus unum) Quâ arte verò imperium tractaveris Papa, suumq; beneficium esse iactaverit, imperatores pro hominibus habendo, ¶ & imperium pro inani corpore, quod nō Spiritum & vitam à Papa accipiat, nihil distet ab umbra, imagine vacuâ, & vano simulacro, nec tempus sinit exponere, nec vestra permittit benevolentia.

¶ Vide centurias V Volfii ad ann. Chr. 1127. 1154. 1434. &c. contra cum anno Chr. 868. mortuus esset Hlotarius Imperator, Papa Hadrianus 2. scripsit principibus, ut Ludovicum fratrem ejus legerent Imperatorem, quod nō facerent, anathemate devoti & excommunicati essent. At illi neglectis Papæ minis & autoritate, Carolum Calvum fecerunt Imperatorem. Baronius ad annum dictum.

Ut Schema nostrum indicat, tam Papa occupat Imperii pomum, quàm Imperator, idq; eâ vi & firmitate, ut Papa stes erectus, Imperator casuri speciem referat, & sceptrum fractum ploret, eadem imagine Gallum & Germanum representante. Stipes aridus (Ideò verò truncus est, & non arbor integra, quia mortuo Theodorico, frater Hildericus ineptus ad regnum, à majore domus præcidebatur, ut in aliam stirpem fieret transplantatio, quæ post annos 236. Hugonis Capeti stemmate est permutata) cum insignibus Gallia, tempora ea denotat, quibus adhuc inferior erat dignitas, & vigor ejus regni, quod tamen circa radices succum, fronde Carolina ostendebat. Inde ascendit, donec ad latus imperii evectum est, & sua insignia imperialibus Romanis junxit: vel ut est in alio schemate Romanum imperium sibi imposuit. Leo prore, Burgundia monumentum est: Rota, cui insistit pede sinistro Papa, Moguntinæ

presulatus, cuius fiducia quid non machinatus est in Imperio Pontifex? ArchiCancellarius Imperii per Germaniam est Moguntinus. Is circa annum Christi 1302. erat GERHARDUS, Papâ Bonifacio 8. qui in suo Iubilæo habitu Pontificali, & Imperatorio in publicum prodiens voce præconis, Ecce duo gladii hîc, proclamavit. GERHARDUS autem conspiratione contra Cæsarem ALBERTUM factâ, monstrato cornu venatorio, & perâ, non erubuit dicere, se in his plures gestare Cæsares, regesq; Germaniæ. Moguntini operâ, anno 1246. Innocentius Papa Friderico secundo axioma Imperii detraxit, & Henrico Brunsvicensi obtulit, quali fraude jam pridem dejecto FRIDERICO LOTHARIUS erat susceptus. Ejus fiducia an. 1273. GREGORIUS 10. ad Principes Imperii scripsit, intra certum tempus legerent Regem, alioquin se prospecturum imperio de moderatore, & Ecclesiæ Romanæ Patrono. Anno 1346. Clemens Papa idem contra Ludovicum præcepit, utq; commode fieret, Priori Moguntia Præsuli Henrico, qui Imperatori favebat, deposito, submisit suæ sententiæ Mancipium Gerlacum. Num ergo absq; causa Papæ pedi sinistro subjecta est rota? Annon eandem technam expertus est anno 1076. HENRICUS Quartus, objecto Anticæsare RHUDOLPHO? De triremi dicere nihil attinet. Imperator regius & Papa insistentes pomo mali Monarchiam istâ significari non obscure indicant. Tam enim Papa, quàm Imperator Monarchiæ titulo sese insigniunt. Fluctuat illa navis inter procellas maris, & confugere ad insigne francicum videtur. Quæ nam illa procella? Saraceni, Heruli, Hunni, Gotthi, Longobardi, Vandali, Alani, & aliæ gentes barbara, ab omni mundi plaga Imperium invadentes, atq; etiam ipsam Romam vastantes, primùm ann. 410. Alarico, Gotthorum duce; 2. ann. 455. Gensericò Vandalorum; 3. an. 472. bello intestino inter Anthemium, & Ricimerem, quo diripiebatur, ¶ 4. Odoacro Herulorum, qui & Italia coronam sibi imposuit; 5. Totila Hunnorum circa annum 546. à quo tempore in Longobardorum venit potestatem.

Quidam cõ-
 jector asseri-
 psit: Sub pe-
 dibus nostris
 erant univer-
 sa mundi re-
 gna.

¶ Baronius notat, tunc interfecto Anthemio, & magnâ clade urbi illata Olybrium factum esse Imperatorem.

Quò

Quò confugeret Romanum regnum, non habebat, cum Paga id à Baronius in
Græcorum fide ann. 727. absolvisset, ita ut Gregorius 3. cogereetur, Fran-
corum arma contra Longobardos implorare. Sic navis Imperialis in occi-
dente ad aridum stemma Gallorum se contulit, & inde quaesivit salu-
tem sibi. Nemo sedet ad gubernacula, quorum ne vestigium
quidem in puppi apparet. Tyrannis enim oppresserat Rempublicam.
E puppi quidem ponticulus est in mali summum, ubi tamen non appa-
ret ulla autoritas, & vis regiminis, sed partim mutua sustentatio, partim
insidiosa colluctatio, eversioq; sceptri. Ad remos sedet nullus. Quid enim
facerent Germani, qui ipsi pars erant Itali regni destruendi? Nuda itaq;
& transtra sunt, & palmule insignibus vacuæ. Has suo tempore Septem-
virum scutis implevit Otho Tertius, circa annum salutis 998. & inde Ca-
rolus 4 bullâ aureâ an. 1356. contra Pontificales astutias, relicta beluæ isti
bicorni Italiâ, roboravit. § Interim ne vacuæ maneant ista tabula, nos
ipsi, veluti monitu jussuq; divino appingamus domus Saxonie Electoriae
signa Rutam, & sociorum confessionis, nunquam satis laudatos clypeos,
ita ut primarius, decumanusq; remus sit Gentis Ducum Saxonie, in qua
etiam nostri Principes & D. D. IOHANNES, CASIMIRVS, & D.
IOHANNES ERNESTVS: secundus servetur magnanimo illi
Brandenburgico Georgio, caput potius, quàm fidei vera confessionem posi-
turo; Tertius debeat Philipppo, Hassiæ strenuo heroi; Quartus Erne-
sto & Francisco Brunsvicensibus, nec suus honor desit Norimbergensi &
Reutlinganæ Rebus publicis.

§ Id ut significaret conector, seu interpres, creditur tum palmulis,
 tum anchoræ apposuisse insignia, quibus tamen quod Ruta & gladius
 desit, quis non intelligat, Saxonice domui iniquum fuisse istum censo-
 rem? Sibyllæ, aut varis cujusdam divini inventum non debuit præter-
 mittere id stemma, quod inter principes imperii maximum fuit Ecclesiæ
 fulcrum, & rebus ipsis designatis planè est essentialè.

Anchoram verò imponamus codici divino, in quo Christus,
 veraq; Ecclesia dominatur; Quid si adijciamus etiam Rotam cum cor-
 dis & crucis figura? An non decumano remo, & anchoræ sacre, hunc
 honorem debemus, ut duas illas oleas, candelabraq; Ecclesiæ, & fideles

DEI ministros, Saxonem & Lutherum, sub cruce Christi militantes in
 palmulis remorum & anchora navigii Christi, posteritati cum grata me-
 moria representemus? Sed ubi rerum fides est, non multum pro-
 sunt testimonia. De Stella, * sitne Cometa, an fulgor aliquis divinus;
 reges Francorum & Germanorum tandem illuminans; Itemq; de nume-
 ris adjectis, ideò nihil dico, quia incertis divinationibus & conjecturis
 ambiguis nolo expectationem vestram detinere.

* Capistranus putavit pertinere ad Cometam, qui apparuit anno 1460.
 & inde interpretamenti sui sumit occasionem, VVolfius refert ad vitam
 in Cassiopea, an. 1572. & seq.



DEI

Hactenus





Haecenus de monumento priore. Posterius paucis perstringam, ut eo jucundius audiatis, & memoriâ conservetis rem fideliore: Quamquam si vim ejus, & mirabile inventum intueri velimus, nullum tempus explicando suffecerit.

Nota vobis VVormatia est, oppidum illud imperiale, primis Caroli Quinti anno 1521. comitiis, & intrepidâ fidei confessione, Magnaximâ illius, & divinâ virtute ex alto induti Theologi, Doct. MARTINI LUTHERI, jam pridem celebratissimum. Ejus templum Cathedralē inter alia monumenta veneranda antiquitatis, quatuor quoq. tabulas

in ea

in lapide incisus figuris spectandas proponit. Conjectura est nongentos circiter annos jam ibi esse, perinde, ac si circa annum Salvatoris septingentesimum à rerum arcanarum conscio quodam essent efficta, ibiq; in propatulo collocata. Erant tunc certamina de Iconibus templorum inter Græcos & Latinos adeò seria, & pertinacia, ferventiq;, ut Leo Iconomachus Sanctorum imagines etiam in foro cremaret, ob id anathematis fulmine à Gregorio secundo signa defendente percussus, & ab Italia, iuramento fidei & subiectionis absolutâ, abstinere iussus. Celebrabantur & synodi passim multæ in Anglia, Italia, Constantinopoli, nec ita pridem Justinianus, loco adorationis Pontifici debita, os ad pedes ejus admovebat, osculisq; eos primùm erat veneratus. Notandum est, primùm admisisse Papam gestationem sui, super humeris humanis; Deinde pedum oscula; hinc Regum & Imperatorum subiectionem, donec tandem utramq; hierarchiam impotente dominatu oppressit, & septiceps imperium, tanquam jumentum suum Draconium, meretrix magna in Apocalypsi, pedibus suis subjecit, & pro libitu duxit. Cum itaq; eò arrogantia processisset Pontifex, ut non tantùm super omnia se efferret, verùm etiam Imperatores Græcos Romano regno exueret, & Imperium ad Francos devolveret, quorum itidem reges mutabat: Certatim imaginibus sub Pontificio dominatu erectis, excitavit DEUS Propheticum Spiritum cujusdam pii viri, qui prætextu ornandi templi istas tabulas ei affixit, & statum Ecclesie Christiane ab initio Evangelico repetitum per medias tenebras Pontificie tyrannidis, usq; ad initium repurgata per Spiritum oris Domini, purumq; Evangelium doctrine, perduxit. Primus lapis statuam continet equestrem, sed mirando ritu, & qui imperitis, àq; fide Christiana alienis portento monstrosior estimari possit. Virgo coronata passis & in humeros projectis crinibus, jumento quadricipiti inequitat. Hujus caput unum, atq; id præ cæteris eminent, humanâ facie angelum representat; ad dextram est juveni; sinistram occupat leoninum jubatum, ex cujus ritu prominet, dependetq; aquilinum, acumine visus, veluti ex oculis emicante: Cauda jumenti bovina demissa inter suffragines cernitur; pes unus hominis; alter bovis; tertius leonis; quartus aquila, qualem com-
pagem

pagem facile irriserit in arte Poëtica Horatius ille cum Epicuro potius pinguescere satagens, quàm cum Iudæis credere oraculis, principiisq; divinis. Virgini vultus severus; Stola super interiore tunica à collo per tergum demissa, indeq; ad Iliarevocata, & in pedes, quos occultat totos, laxata. Dextrâ manu portat vexillum tribus laciniis, & cruce per medium distinctum. Sinistra actiosa est, & speciem concionantis refert. Quid multis? Regina illa purissima, castissimaq; est, quæ fundamento Evangelico, Apostolicoq; innixa, trophæum Christi per universum mundum circumducit, ubi vis omni creaturæ prædicando Evangelium salutis per Christum parte, veraq; fide sibi applicanda, nè operibus nostris, aut ritibus legalibus confisi justitiam aliunde, quàm ex fide in Christum Salvatorem, qui est res Evangelii, quaramus. Hæc adeò quilibet intelligit, istâ imagine significari, cui constat quadrigam Domini apud Ezechielem cap. 1. v. 10. & cap. 10. v. 14.; Item Apocalyps. 4. v. 6. 7. specie istorum animalium Ecclesiæ proponi. Quis dubitet, inde translatum esse tam mirabile jumentum? Est autem ea Ecclesiæ facies quandiu cum magna constantia, & sinceritate fidei sub cruce, & crudeli tyrannorum persecutione, munere prædicandi est defuncta, nec dubitavit inter exquisitissima tormenta cum admiranda perseverantia sanguinem profundere, & martyrii coronam in capite præfulgere. Asscribamus huic primos trecentos annos. Tum enim instabili sede modò huc, modò illuc migrare coacta est, ut jumento non tantum per terras incedente, verùm etiam volatico opus habuerit, quâ de causa puerpera in Apocalypsi, & animalibus Ezechielis etiam ale apponuntur, quarum auxilio fugere virulentiam Draconis, & in desertis loca se conferre possent. Nostrum jam est, cupidissimis oculis picturam hanc intueri, & nostris temporibus de tanto bono quàm intimè, devotissimèque gratulari. Rediit enim ex deserto mulier illa, amicta sole justitiæ, Christo, in cuius capite 12. stellarum, utpote Apostolicorum luminum corona, & prægnans inter nos peperit puri Evangelii veritatem, cujus capsulis, in volucrisq; inclusus est puer ille, omnes gentes virga ferrea regens, ut est in Apocal. 12. Hunc puerum DEI primùm, cui gloria & laus in secula, postea etiam illustrissimæ Domus Saxonicæ, & in hac pientissimorum

simorum Principum & D. Nostrorum, beneficio, q. rediivium vidi-
mus, & adhuc videmus, porroque visuros, & in Casimiriano hoc audi-
tuos longo tempore confidimus. Servet Dominus nutritium nostrum
DN. IOHAN--CASIMIRUM, ET DN. IOHANNEM ER-
NESTUM FRATRES, qui hospitium mulieri huius, pueroq. prae-
bent, & simul jumentum ejus Evangelicum pascunt, curantq., quantum pos-
sunt. Et haec prima tabula est signatura. Contemplemur iam secundam.
In hac exculpta extant duarum reginarum formae, non equestres, verum
in pedes erecta ambae, sed non parum inter se discrepantes. Quae dextram
tabulae partem occupat, super capillo passo coronam laciniatam sinuatamq.
gestat; oculisq. & toto vultu ad severitatem compositis, quasi minitantis
speciem refert. Manus dextra sagittam cuspide hamato, & alato scapo
elevat, sinistra librum clausum, umbilicatumq. gestat. Reliquum corpus
togâ faemineâ per totum decenter vestitum, prominenti mutulo insistit.
Quid de hac statua cogitetis, videre mihi ferè jam videor. Quis enim ve-
strum est, quin reginam illam, sponsamq. regis virginem ex Psal. 45. agno-
scat? Veruntamen coronâ gloria non tantum pro regio sacerdotio, præ-
cincta est, verum etiam justitiae, vitæ, letitiae & exultationis, ut sponso
suo filio hominis Apocal. 14. sit conformis. Eam autem consecuta est gra-
tiâ fideiq. constantia in Martyrio. Itaq. tanquã Domina triumphans spar-
so, fusog. non autem ligato, aut in nodum collecto, tectove capillo impo-
sitam gerit, ut agnoscas mysterium Ecclesiae post primos trecentos annos è
cruce persecutionum emergentis, suaq. victoriæ signum in vertice por-
tantis. Sed nunc jam otiosa est illa regina virgo? Minimè verò genti-
um. Sagittas enim exacuit, easq. elevatas portat, & ut celeritatem, &
vim intelligas, ala & hami ipsis sunt additi. Ista sunt sagittæ Psal. 45. v.
6. de quibus legimus: Sagittæ tuæ acutæ cadent in medio inimico-
rum regis. Eadem figura est gladii ancipitis Apocal. 19. de quo hæc ibi:
Vidi cælum apertum, & Ecce equus albus, & qui sedebat super
eo, vocabatur fidelis & verax, qui cum justitia judicat & pugnat.
Oculi ejus flammei: caput diademate multo insigne: Vestis
sanguine conspersa: nomen verbum DEI. Hoc ipsum verbum est
Spiritus oris Domini, quo heretici conficiuntur. Itaq. & Liber ille ma-

gnus scriptura, reginæ nostræ est conjunctus. Hinc tela, tanquam exple-
nissima pharetra in impios promuntur. Patet itaq; hac effigie illud tem-
pus Ecclesie, statumq; illum designari, quo ex persecutionum tribulatione
erepta Ecclesia, bella vibrato verbi divini gladio, & emissis ex codice sa-
cro sagittis acutissimis, gessit cum Arianis, Donatistis, Photinianis, Ma-
cedonii, Apollinaris, & aliorum hæreticorum (fuerunt enim multi) fa-
ctionibus, usq; ad Hormisdam Episcopum Romanum, vel contentionem
Romani & Constantinopolitani de primatu, quod spacium alteros tre-
centos annos complectitur, quibus finitus, Duo Bonifacii 3. & 4. jam Pho-
se beneficio, & propria synodo Antichristicum regimen, in publicum,
quanquam specie hypocriticâ, & insigni simulatione perstrictis omnium
ferè oculis, nè videre possent, quod tamen videre cogerentur, produxe-
runt, jam inde ab Apostolorum temporibus latenter provectum, donec de-
tinens removeretur, & Papa Romam in sua potestate haberet. Ad nos ve-
rò quid illa? Laudem & honorem DEO contra hæreticos sic præ-
liato. Virtute fructusq; harum pugnarum nos jam fruimur, & exemplo
tùm utimur, tum gaudemus. Etenim sub illustrissimis Saxonie Duci-
bus, atq; adeò etiam IONAN-CASIMIRI nostri umbrâ, adhuc ea-
dem prælia Domini ex libro Scripturæ promptis telis præliamur.
Maçte hac virtute Princeps Illustrissime. Amplectere exemplum, & rem
divinam strenuè defende. Ista fuit regina Ecclesia bellatrix; sed eam
sequitur mercatrix, & Simonis magi potius, quàm Sponsi Christi amu-
la imago. Est illa quidem in pedes erecto situ statuta: Gerit in capite co-
ronam foliis triphyllis sinuatam; Est & togata, ad pavimentum usq; pro-
missâ stolâ; Est facie apertâ, ut speciem reginæ agnoscas; sed si cætera at-
tendas, simulationem, fucumq; haud difficulter deprehendas. Coronam
primùm non imposuit capillis nudis, sed carbaso vel bysso tectis, qui mos
est earum, quibus cestus, seu zona soluta est, quæq; potestatem in capite ge-
stant, suntq; sub alieno dominatu. Dextrâ vasculum portat, ex fundo
spherico in collum nonnihil contractum, sed satis tamen amplum & aper-
tum, eductum, Fundam dicas aut peram; Imò marsupium, quale in su-
periore figura Rex Francorum collo gestabat. Vt id nummos sitire, avi-
deque

expectare intelligas, hiat orificio. A sinistra dependet pallium seu Epomis, trabeaque, olim regium gestamen, iam ab aliquot seculis commune superioribus Cleri ordinibus. Id autem bullatum est, nodisq; prefixum, & brachiatum, sinistro brachio à manu mulieris pendens, altero defluens. Huic ita demisso captatores sunt subjecti, unus chlamidatus specie barbata, ut facile secularem hominem intelligas; alter cucullatus, quæ nota est Monachi. Uterq; sedulo & avido vultu pallium respicit, manuq; protensa prensat, ipsâ muliere oculos in eos dejiciente, & crumenam levante, quasi innueret, venum dari pallium, tam Cesaribus, quàm clericis Episcopis, si repensis nummis marsupium farciatur. Et sanè politica effigies suo se sustentat scipione, cogiturq; de suo erogare, si dignitates à Romana Ecclesia redemptas velit; sed pater cucullatus sinistram manum humero illius injecit, utpote non suâ mercede, sed variâ arte extortis ab illo nummis recuperaturus Epomidem regiam. Ingens est hoc Romana bestia mercimonium, adeò in Ecclesia notum, ut veteres & recentes ad ravim usq; clamaverint semper, omniaq; historicorum volumina istâ negotiatione sint plena. Nostis versus: Vendit Roma DEOS, vendit sacra, vendit honores: Et: Vendit ALEXANDER cœlos, altaria, CHRISTUM: Emerat ipse prius, vendere jure potest, Item Pius 2; Vendidit ære polum, terras in morte reliquit: Roma manus rodit, quas rodere non valet, odit. Talia multa Zegedinus congesit. Nimirum id seculum est, in quo summa rerum est penes ementes & vendentes, quod tamen nemo facere potuit, quin characterem bestiae haberet, hoc est, chrisma, & tonsuram, aut saltem adoraret numerum nominis ejus, aut nomen haberet ipsum, hoc est, Papa esset; Apocal. 13. 17. id quod experta est Germania, Anglia, & quæ non terra? Nam hac arte mundi Thesauros congesit Papatus. Intelligitis jam & hujus tabulae interpretationem: nempe Antichristicum Pontificatum designari, sed nondum ad extremum impietatis proVectum. Attribuamus itaq; ei tertios trecentos, usq; ad certamen illud mirificum inter Papas ipsos, Stephano Sexto contra Formosum agente crudeliter, iterumq; hunc impugnantibus Theodoro & Iohanne 9. in quos & Formosum tandem planè insanivit Sergius 3.

Hic

Hic primus seculorum Antichristi regnantis ternarius est, adhuc quodammodo tolerabilis, praesequentibus. Luxit adhuc aliqua verbi divini facula, proculdubio etiam domum Saxoniam illuminans, ut tunc potuerit fatis melioribus frui, & postea vitam pietatem eò presentius recolare & exercere. Sequitur tabula tertia, statuam fœmineam quartam, itidem pedestri, erectamq; & togatam peplo muliebri, institamq; terram radente insignis: sed praecedentibus vix comparanda. Corona capite dejecta inverso situ in sinistro jacet humero: vertex capillatus, nulloque velo tectus, crines in tergum demittit. Oculi praestrikti sunt syndone, ita ut vix vestigia eorum, & quidem conniventium appareant. Sinistro cubito vexilli hastile complectitur, sed cuius superior pertica in duo fragmenta sit disrupta, velo labente, & hastili praepilato in caput statuæ inclinato. Praecordis appicta capra cornua reflectit eam specie, ut manu mulieris dextram retrahi intelligantur. Ita os elevatum, collumq; ad excipiendum gladium nudatum est; sed pectus, jugulique cultrum à sinistra manu excipiunt, ita ut capra spiritum efflet, nec amplius possit clamore suo perturbare Papatum. Idem fatum decernitur testibus duobus divinis Apocal. 11. Hos enim post finitum testimonium bestia Papalis, quæ ex abyssu ascendit, illato bello superat, & è medio tollit. Ecquæ vestrae quæso jam cogitationes? Annon vel silente interprete iudicatis coronam Ecclesiae dejectam esse istis temporibus, omniaque regi cæco ductu cæcorum Pontificum, & curiæ Romanæ non plus præ avaritiâ, Simoniâ, Idolomaniâ, Sodomia, & aliis impietatum nefariarum generibus cernentis, quam sub obscurâ terrâ talpæ? Velum illud, quod oculos occupavit, quodnam esse putatis? Annon Ecclesia nequit errare? Papa est Ecclesia; Est Christus, Aaron, Moses, & quid non? Est ultra concilia: nemo ei potest dicere, quid facis: à nullo potest iudicari. Eminentior est potestas ejus, quam ut debeat de ea dubitari. His & similibus prestigiis, nonne olim universorum ferè oculi fuerunt obvelati, & adhuc sunt in Papatu? Qui negat, saltem Baronium & Bellarminum evolvat. Quid, quod tunc etiam ferro, flammâ, fame & aliis cruciatibus sublatis sint Papatus istius reprehensores? Legant, qui possunt, horribilia ista, quæ evenerunt sub Sergio 3, Iohanne 10. Leone 8: Iohanne

Papatus, ne videat Antichristum, sibi praestringit oculos fictis fabulis de Elia, Enoch, sesquiquadrenio, Antichristo Iudæico, &c.

hannæ 13. Bonifacio 7 Sylvestro secundo, Mago illo abominabili, & aliis, usq; ad Bonifacium Octavum, per plus fere, quàm trecentos annos. Agnoscent statua significationem etiam ultrò. Eluclatos esse existis horrendis tenebris, stemmatis Saxonici Heroes, ut nobis procreare potuerint laudatissimos illos Confessores, reformatoresq;, & conservatorem religionis in hac provincia pura, IOHANNEM CASIMIRUM nostrum, Cum IOHAN--ERNESTO, FRATRE, item Domino Nostro, DEO gratia debentur immortales. Quarta tabula iterum duas representat statuas, ex quibus prima monstrum est abominabile, à tergo spectandum. Caput tuberosum in acumen desinit hebes: itaq; humeris insidet, ut collum appareat nullum. Inde demissa brachia: dorsum, lumbi, posteriora, fœmora, crura, pedes, omnia nuda, sed quæ serpentibus & buffonibus sint obsita, adeò ut etiam ex musculis promineant, prospiciantq;, tanquam interna omnia scateant lerna à istâ impuritate, tantâ copiâ, ut nec capere possit, coganturq; angues & rubeta diverticula per cuniculos querere, & foris cutem monstri lambere, & per eam oberrare. Interim anteriora castula imagine videntur pratexta, ne tantum malum inde possit animadverti. Horribile planè portentum id est, & omninò virulentissimi Papatus argumentum indubium, quo tempore in summo flore fuit, ab anno millesimo trecentesimo usq; ad tempora Husi, & inde ad millesimum quingentesimum, quo Phosphorus exortus in terris nostris, venenatissimam, deterrimamq;, & horridam istam bestiam hominibus palam monstravit. Ne expectetis, ut vobis hieroglyphiam serpentum, & buffonum exponam. Iam enim ipsi corruptissimam Papatus doctrinam, moresq; nostis; Inde halitus venenatissimi expirantes, passim infecerunt omnes appropinquantes. Id præsignificatum pridem fuit Apocalypseo no. 10. per locustas Scorpionicaudes; Fuit & cap. 16. per tres Spiritus immundos specie ranarum venenatarum, ex ore draconis, bestie, & pseudo-prophete exeuntes, universumq; orbem more iesuitarum perreptantes, & reges ad prælum, pro more & professione societatis istius Sathanicæ, concitantes. Nec defuit astus draconinus; inde tot bella cum Imperatoribus & aliis. Interim tamen ventri pratenditur castula hypocrisi-

poeritica Ecclesia, quam, si quis etiam in civilibus tetigit, is pupillam
DEI lassisse iudicatus est. Nihil dicam de sibilo rauco serpentum & rana-
rum, hoc est, monachorum, ex corpore Papatus emissorum: nihil de ar-
tibus Italicis, quæ egregiè uti possunt rubetarum execrabili virulentiâ,
& è medio tollere obsistentes. Doleandum certè est in locum purissima
castissimaque virginis reginae, tam abominabile monstrum pervenisse.
Sed recreentur animi vicissim. Nihil tam malum & detestabile,
Dei permissu, fieri potest, quin aliquid boni, Deo disponen-
te, consequatur. Inter ista horribilia monstra servati sunt Heroës
Saxonici, quorum vigilantes oculos non planè potuit castula illa impudi-
cissimi pudoris amovere. Revixit sub horum principatu in partibus Saxo-
nicis Ecclesia, & ex obscuris lustris rediit in montem ALBUM, candidam
lucem inde in omnem partem projiciens, atq; ita turpitudinem meretri-
cis babilonicae in ipsis posterioribus notans, omnibusque execrandam ex-
ponens. Altera itaque quarta tabula figura reginam nobis restituit, sed
lugubri à vertice syndone, togâque pulla, quam nodus jungit in pectore,
induta. Cur enim non lugeantur tam pessima temporum istorum acta?
Libellum ea manu sinistra tenet, qui vel divortii à Papatu est, vel volu-
men oraculorum caelestium ad abolendam Impietatem, conficiendumque
iniquum destinatum. Dextrâ dependente, indicèque porrecto deforme
monstrum, in proximo collocatum, à tergo monstrat cucullato cuidam, hu-
militèrque geniculato fratri, sinistro genu accumbenti, qui elevatâ u-
trâque manu, vultu in monstrum directo, veluti miratur tantum dede-
cus, & absurditatem bestiae; Proh DEI hominumque fidem, dicere vi-
detur, eone abominationis pervenire potuit facies Ecclesiae, ab antiquo
pulcerrima? Istudne abominabile desolationis monstrum est. stans in lo-
co Sancto? Quin & vulgare eam verbis, palàmque proclamare videtur.
Quid dicas hic aliud, quàm Deum, lumen verbi sui in apertum redu-
xisse, & veritatis, Reginae nimirum illius, in verbo DEI scripto propo-
sita, indicio ostendisse babilonicae meretricis deformitatem Divo LU-
THERO, organo illi operum divinatorum, in Ecclesia ultimorum tem-
porum electo, & Elia postremo, qui postea voce, & scriptis totam rem in
apri-

apricum protulit, arguitque, quo effectum est, quod & meminimus senes,
& jam quoque per DEI gratiam videmus juvenes, omnesque ceteri, nimirum
detectam abominabili turpitudine Papatus, veritatis lumen in terris
nostris illuxisse, & adhuc radios alicubi copiosos effundere. Iste est monachus,
cujus effigies non hac tantum representatur tabula, verum etiam
lapidi incisa est, circa annum Christi 1170. quo FRIDERICUS BAR-
BAROSSA in Carinthia templum condidit. Fuit in Italia circa ann.
1503. & sequentes Clementius Clementinus, Medicus amerinus, qui cum
de peste pronunciare vellet, inter alia scripsit anno salutis 1515. magnam
rerum novitatem decerni, quandoquidem trium superiorum planetarum
septem conjunctiones magna elevatione sint, anno 1513. quendam poten-
tissimum Dominum destructurum falsam infidelium religionem, & di-
tioni suae magnam orbis partem subiecturum. Hac ille, sive peritiâ astro-
rum, sive instinctu divino est vaticinatus. Sanè circa ista tempora, oc-
casionem indulgentiarum impudentissimè venditarum, quid per D. LU-
THERUM factum sit, noverunt hostes nostri Papistae, & dolent,
frendentque; norunt & reducti, conversique à Papatu, & Babylonica capti-
vitate, nostri; & gaudent, Deoque gratias agunt. Elevabatur quidem
non ita multò post in thronum imperialem sapientissimus ille, pientissi-
musque, è stemmate Saxonico, Princeps Elector, D. FRIDERICUS,
cujus memoria in Benedictione; sed fidei sincera, confessionisque gloria sum-
mas obtinuit, & è Saxonia in universum orbem se extendit, ubique
destructam infidelium superstitione. Iam non amplius jugulata cernitur
capra, sed sub pedamento Ecclesiae, signoque Lutheri alacris, vigi-
lansque, ut revixisse jam putes, testes illos Divinos, oleas & candelabra
in Ecclesia, unde lux in orbem dispersa eò splendidius fulget, quò mali-
gnius prius erat suppressa. Horum itaque beneficiorum DEI, domus Sa-
xonica, & beati Lutheri his ipsis natalibus Casimirianis recordemur,
& DEO, cæterisque gratias agamus aeternas, subinde pergentes orando, ut
DEUS hoc bonum nobis, & posteritati nostrae perpetuum velit: Et hæc
quidem de præsentem materia volebam. Quod restat, supplici voce, ani-
misque devotis te adoramus, ò Sacrosancta Trinitas, quæ inter nos
Ecclesi-

Ecclesiam & instituisti, & huc usque incontaminatam, inviolatamque
conservasti, praebitis ad hoc ipsum, tum sincerae pietatis professoribus,
confessoribusque, tum nutritiis, propagatoribusque, & patronis fide-
libus, Illustrissimis Principibus & Dominis DN. IOHANNES CASI-
MIRO & DN. IOHANNES ERNESTO Fratribus, Ducibus Sa-
xonia, Landgraviis Thuringia, Marchionibus Misnia, patribus patria.
Te devotione animorum intimam rogamus, ut hos ipsos Heroes, & Domi-
nos nostros, quorum IOHANNES CASIMIRUS, ut monumen-
tum pietatis suae relinqueret, specimenque ederet Ecclesiae conservanda,
hoc GYMNASIUM, verae pietatis, bonorum morum, & varia eru-
ditionis palastram nobis extruxit, clementer conserves, benignè adju-
ves, & porro etiam ad benefaciendum Ecclesiae, scholis & Reipub. in-
vites, provocesq;, praesidia quoq;, & ea auxilia subministres, quorum
adjumento implere possit, quod operari per eum incepisti propter tem-
plum tuum. Ut etiam diu prodesse benefaciendo possit, diuturnam, fe-
licemque vitam, & gubernationem, pro omnipotente tua voluntate
ei largiri, ad gloriam nominis tui divini, & salutem multorum velis.
Rege eum, & imple Spiritu sancto tuo. Sed & asta sapientibus illis vi-
ris, quos ei ad bene regendum adjutores, Consiliariosq;, adjunxisti: Sede
tu ipse ad naviculae hujus clavum, & in ea gubernata Ecclesiae, scho-
laeque antecessores; commendatam divinae tuae protectioni habe studio-
sam juventutem, & aspira illi numen, lumenque sapientiae
tua, ut ubique fiant tibi placentia, & Ecclesiae, Reique publicae
proficua, & salutaria, per IESUM CHRISTUM
Dominum nostrum, & Salvato-
rem, Amen.

In ho-

*In honorem Fundatoris Casimiriani
Illustrissimi,*

RES gerere excelsis animis, virtuteq; gentes
Monstrare edomitas, & templa ornare trophæis;
Dilatasse solum patriæ, finesq; remoto
Figere in Oceano: procul & duxisse colonos
Imperium Domini haud unquam posuisse paratos:
Instituisse domos, implereq; civibus urbes:
Pacis opus colere, & leges incidere Cedro.
Montes in planum diffundere; claustraq; averni
Rumpere stagnantis malè; & altis fontibus undas
Mœnibus illatas alieno asciscere ab orbe:
Atq; Athon Immensum protundere, velaq; rupto
Imposuisse solo; frena addereq; Hellesponto:
Condere Memphiticas cœli usq; ad sydera moles;
Multaq; præterea miracula gentibus olim
Tollere, naturam quæ possint vincere mundi,
Sunt opera æternum nomen ductura per ævum;
Vtilia illa quidem populis plærumq;, nec annos
In paucos mansura, stuporq; nepotibus olim:
Sed non pauca putes temeraria, & ambitiosi
Nil præter testes atq; argumenta furoris,
Vanæ laudis amor, quæ suaserit atq; cupido;
Quæque situs longi tandem deleverit ævi.
Quid perfossus Athos; quid vincula subdita Ponto
Designent aliud, stolidas quàm Xerxeos Iras?
Quid fossæ rubro ceptæ de littore? Metæ
Quid Phariæ, nisi vesani monumenta pudoris?
Quid babylo niacæ temeraria machina pubis,
Nimrodique manus? Queritur, dolet atque juvenus
Difficiles artes, variæque opera ardua linguæ,
Quorum causâ fuit turris structura superbæ.
Sic montes fertur temerè cumulasse Gigantum
Impia turba, Iovem cœlo detrudere adorta
Sentit adhuc pœnam Enceladus (si credere dignum est),

Flam-

Flammivomo ructans fumosq;, & lampades **Æthna;**
Sentit & Inarime supposti vita Typhæi;
Magno argumento nil imprudentibus ausis
Consiliiq; experte modo, fidum esse bonumq;.
Quantó major honos illum manet, inque futurum
Se fert diverso populos moturus in orbe,
Quem non ambitiosa fames, sed gloria Christi
Tangit, & utilium non vana repertio rerum?
Tali se jactat, quo non sapientior alter
Orbe fuit toto notus genitore Davide,
Laude, **D E O** sacrum templum molitus & aram
Cujus Memnoniis viderunt secula in oris
Nulla parem, sed nec delubrum sanctius ullum,
Hac **C O N S T A N T I N U S**, **C A R O L U S**q; effulgere quondam
Magnus uterque ausis præstantibus haud dubitârunt;
Nec minus **A U G U S T U M** genus, & gens inclyta stirpis
S A X O N I C Æ meruit tali molimine nomen
Æternumq; decus. Sic scilicet ille **I O H A N N E S**
Magnanimus Princeps, quo non constantior alter
Asseruisse fidem, & veræ pietatis honorem
Extulit ad cælum caput, & famâ obruit orbem,
Vnde venit Titan, & quâ se Vesperus undas
Mittit in Oceani alterno rediturus Eoo:
Quaq; afflat Lybicos Phaëthontia flamma colonos:
Et gelidam assurgit tellus exrenta per Arcton;
Nil superest mundo, quo non justumq; piumq;
Venerit æternùm memorandâ laude **I O H A N N I S**.
Et tua perspecta est populis **F R I D E R I C E** potestas
Armipotens simul & literis excelsa relectis.
Te manet extructi Pleissenio in amne Lycæi
Gloria, & illatæ Lipsensia in arva Thalix.
Invidit laudi **F R I D E R I C U S** tertius isti, atque
Æmulus albicomam Musas induxit in urbem,
In qua iterum **C H R I S T I** lux fulgida gentibus orta
Discussit tenebras, dum verbo fulminat acri
Spiritus, & lingua tonat altisonante **L U T H E R I**.
Quæ vis & nomen tantis se laudibus æquet?

Cætera

61
62
63
64

Cœtera mundus habet mox dilapsurus in ignes:
Gloria de musis, pietateque fortiter aucta
Attingit Solium CHRISTI haud debilis unquam.
Hac frueri ô felix IANNES CASIMIRE per ævum:
Hac IANNES ERNESTE, Ducum par nobile fratrum,
Stemmata Saxonio procerum longo ordine cretum.
Vestrum opus Issiacas præclarum surgit ad undas,
En Casimiriadum domus, & Schola Dia Sororum,
Quâ melius Coburga suis nil vidit in oris,
Et quâ se jactare queat pius incola, Musas
Nî damnare velit Cyclopicus, & malè sanus.
Vera isthæc laus est, pro qua nos vota quotannis
Cœlicolûm Domino facimus, seu redditur orbi
Conscia prognati IANNIS CASIMIRI agilis lux:
Seu quâ Gymnasium cepit consurgere fundo.
Christe, super cælo qui dirigis omnia cælo,
Principibus semper clemens allabere nostris,
Et Casimiriadum serva; & protege sedem,
Ne vis ulla bonum possit subvertere tantum.

ANDREAS LIBAVIUS, M.D. &
Casimiriani Director.

F I N I S.



65



ri
.0
1
1
1



Zc 3787

f

ULB Halle 3
004 958 349




VD 17

M





D.
 ORAT
In Genethli
 ILL
 SIMI
 ET DOM
 NIS CAS
 Landg.
 GYMNAS
in
 FVNDATC
 ROIS MA
 nutu
 ANDREA L
 MIRIANI DI
 In Auditorio
Typis Ducalib
 A



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

